




JO. HENR. BOECLERI

DISSERTATIONES QUINQUE,

AD

COMMENTATIONEM GROTIANAM APPENDICIS LOCO ADJUNGENDÆ.








ARGENTORATI,

IMPENSIS JOH. REINHOLDI DULSSECKERI,
M DCC IV.



CATALOGUS

quorundam librorum; quorum copia suppetit in Officina JOHANNIS REINHOLDI DULSSECKERI.

Argentorati, MDCCIV.

ACta und Handlungen des Stiffts *contra* Meister und Rath der Statt Straßburg. 4.
Æneæ Sylvii Historia Friderici Tertii cum Annotat. J. H. Bœcleri. fol.
ÆLianus, græce & latine, cum Notis Schæfferi & Kühnii. 4.
Ambrosij, Episc. Mediol. *Libri tres de Officiis.* 12.
Anti-Machiavellus de regno benè administrando. 12.
Argentoratensium Consilior. Vol. novũ. cura Io. Schilteri. fol.
Argentoratensis Academiæ Privilegia. 4.
Arnisæus, Henning. *de Republica.* 4.
- - - *Doctrina Politica.* 4.
- - - *de Jure Connubiorum.* 4.
Aretini, Dan. *Historiæ Florentinæ, Item Commentarij rerum Italicarum & Græcarum.* fol.
ab Avila, Lud. *Bellum Germanicum.* 12.

B*Aconis à* Verulamio, *Tract. de augm. scientiarum.* 8.
Barberini, Card. *Poemata.* 8.
Barclai, Joh. *Carmina.* 8.
Bebelii, Balth. *de Principiis Officii Christiani natur. & revelato.* 12.
- - *Antiquitates Ecclesiæ Argentinensis.* 4.
Bembi, Petri, *Opera.* 8.
Biccii, Gregorii, *Aurea Iuris Civilis.* 8.
Bongarsii, Jac. & G. Mich. *Lingelshemi Epistolæ.* 12.

Berneggeri, Matth. *Orationes Academicæ.* 12.
- - - *Tuba Pacis.* 4.
- - - *Proaulium.* 4.
- - *Observationes miscellæ.* 8.

Bertii, Petri, *Logica peripatetica.* 8.

Besoldi, Christ. *Historia Constantinopol. Turcica.* 12.
- - - *Historia Urbis & Regni Hierosolymitani* 12.
- - - *Axiomata politica.* 12.
- - - *Synopsis Rerum ab Orbe Cond. gest.* 12.
- - - *Synopsis Doctrinæ politicæ.* 12.

Betsius, Nic. *de Statutis, Pactis & Consuetudinibus familiar. Illustr. & Nobil. cum Summariis & Notis Jo. Schilteri.* 4.

Biccii, Greg. *Colleg. Jurid. Argentor. enucleatum.* 4.

Boceri, Henr. *Disputationes de Universo Jure.* 4.
- - - *de Crimine læsæ Majestat.* 8.
- - - *de Torturis.* 8.

Bodini, Joh. *Methodus ad facilem histor. cognitionem.* 16.

Bœcleri, Joh. Henr. *Characteres polit. in Vell. Paterc.* 8.
- - - *Notitia S. Rom. Imperii.* 8.
- - - *Animadvers. in Hippol. à Lapide de ratione Status.* 12.
- - - *Notæ in Jus Publ. Ottonis.* 8.
- - - *Elogium Chr. Forstneri.* 4.
- - *Suetonius cum animadvers. H. Casauboni.* 4.
- - - *Herodianus Gr. Lat.* 8.
- - - *in Ciceronis l. Officior. & al.* 8.
- - - *de Politicis Justi Lipsii.* 12.
- - - *Sceptrum Apollinis ad Ill. Com. Gust. de la Gardie.* fol.
- - - *Dissertationes Academicæ.* 4.

Bœcleri,

CATALOGUS.

Bœcleri Series Cæsarum Germanorum. 4.
- - - *de Rebus Seculi XVI.* 8.
- - - *Historia Belli Sueco-Danici.* 8
- - - *Musæum.* 8.
- - - *Excerpta Controversiar.* 8.
- - - *Historia Universalis.* 8.
CArons, Ludov. *Exilium Melancholiæ* d. i. Unlust-Vertreiber. 8.
Cæsaris, C. Julij, *Omnia quæ extant.* 16.
Ciceronis M. T. Epistolæ selectæ, Lat. Gall. 12.
- - - *Fines, Officia, Lælius, Cato, Paradoxa, Somnium Scipionis cum parallel. phil. gr. lat. & Rudim. Offic. I. H. Bœcleri.* 8.
Cisneri, Nic. *de Othone Tertio Imp. ejusque Instituto Concil. Imper. & septem Viris Elector.* 8.
Comeni, Jo. Amos *Vestibulum Janua ling. lat. germ.* 8.
Comitis Natalis Historia sui temporis. fol.
Conseils sinceres sur le choix d'un Amy 8.
Corderi, Mat. *Colloq. Lat. Gall. Ital. Germ.* 8
Cotterius, Matth. *de Hellenistis & lingua Hellenistica.* 18.
Q. Curtius cum Commentar. & Suppl. Freinshemii. 4.
DEnaisij, Petri, *Jus Camerale.* 8
Decuria I. & II. Dissert. Iurid. Inaugural. 4.
Dictys Cretensis & Daretis Phrygii Hist. Trojana cum notis V. Obrechti & alior.
Discursus de necessit. JCti ad Hippol. à Lapide Præfat. libri de Ratione Status. 12.
EPistolæ I. Keppleri & M. Berneggeri mutua. 12.
- - - *Winckarti & M. Berneggeri mutuæ.* 12.
- - - *Epistolare Commercium M. Berneggeri cum Viris Erud.* 12.
Epitome partitionum Orator. M. T. Ciceronis & Ioh. Sturmij. 8.

Erhard, Jo. Nic. *Comm. ad Instituta.* 8
de Ecclesia Iudaica Ioh. Fechtii. 4
- - *Noachica B. Bebelii.* 4
- - *Æthiopica Ioh Ulr. Wildii.* 4
- - *Græcanica Eliæ Veielii.* 4
- - *Moscovitarum Mich. van Oppenbusch.* 4
- - *Waldensium Ioach. Hesterbergii.* 4
- - *Mahumedana Sam. Schulteti.* 4
Excerpta historica de finibus Imperii Germ. ex Romanis non petendis. 4.
- - - *de Encaniis Summi Templi Argent. & Mercatu Adolphino* 4.

F*Lorus cum Notis Freinshemii.* 8.
Forstneri, Christ. *Notæ ad Tacitum.* 8.
- - Christ. *Hypomnemata Politica.* 12.
Freinshemii, Jo. *Specimen Paraphraseos C. Taciti.* 8.

G*Audentius*, Pagn. *de Justinianei Seculi moribus.* 8.
Giphanii, Huberti, *Oeconomia Iuris.* 4
Gumpelsheimeri, Georg. *Gymnasma de Exerc. Academ.* 12.
Gentilis, Huber. *de Error. Testamentor.* 8.
Gebuilerii, Hier. *Panegyris Carolina, cum Descriptione Alsatiæ & Argentorati.* 4.
Gruteri, Jani, *Florilegium contractum.* 8.

H*Abrechti Janua 6. Linguis.* 8.
Hercules prodicius seu Principis Juvent. Vita & peregrinatio per Vinandum. 8.
Havvenreuter, Joh. Lud. *Compend. Libror. Physicor. Aristotelis.* 8.
Hendreich, Petri, *Massilia.* 24.
Herodiani Historiæ cum notis J. H. Bœcleri Græc. Lat. 8.
Horstii, Phil. *Epistolographia.* 8.

Hottingeri,

CATALOGUS.

Ottonis, Jac. *Cynosura Augusti & Augustæ.* 4.

PAcii, Julii, *Oeconomia Juris.* 4.
- - - *Analysis Codicis Justinianei.* 8.
Panvinus Onuphrius *de Comitiis.* 8.
Philanders von Sittewald Satyrische Gesichte. 8.
2. Theile.
Prenners Seb. Grosses Planeten-Buch / sampt der *Geomanci Physiognomi* und *Chiromanci.* 8
Plutarchi Vitæ Parallelæ, ex versione Guil. Xilandri. 8.
Plutarchus Rappij Gr. Lat. 8.
Polydorus Virgilius de inventoribus. 16.
Q*Vinctiliani M. F. Opera, ex recens. Ulr. Obrechti.* 4
2. Tomi.

R*Ebhani*, Joh. *Hodegeta Juris.* 4.
- - - *Paralipomena Mejeriana.* 4.
Reichelti Elem. Astron. 12.
Rittershusii, Conr. *Jus Justinianeum sive Com. ad Novell.* 4
Rittershusii, Conr. *de Regulis Juris.* 4.
- - - *ad Instituta.* 4.
- - - *de Jure Asylorum.* 8.
- - - *Partitiones Feudales.* 8.
- - - *Differentiæ Juris.* 4.
Rudingeri, Joh. *Controversiæ Juris Feudalis.* 8.
- - - *Observationes Juris Cameralis &c.* 4.
- - - *Enchiridion Juris Feudalis.* 12.
- - - *Methodus Universi Juris Feud.* 8.

S*Ansonii*, Nic. *Tabulæ totam Geograph exhibentes.* fol.
Schardius, Sim. *de Jurisdictione Imper.* fol.
- - - *de Electione Imperator. in German.* 8.

Schefferi,

Schefferi, Joh. *Agrippa liberator sive de novis Tabulis.* 12
- - - *Dissertat. de Varietate Navium.* 4.
Schilteri, Joh. *Jurisprudentia.* 8.
- - - *Institut. Juris publici.* 8.
- - - *Epitome Juris privati.* 8.
- - - ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ *Rhytmo Teuton. Ludovico Regi acclam. &c.* 4.
- - - *de Restitut. Bonor. Ecclesiast. &c.* 4
- - - *Herennius Modestinus de Cautelis.* 4.
- - - *de Pace Religiosa.* 8.
- - - *Tract. prac. de Renunciationibus.* 4. 2. *tomi.*
- - - *Consilia Argentoratensia M. Ottonis.* *fol.*
- - - *de Comitum prærog. ac Jure inter ipsos & Ord. Equestr. immed. controverso.* 4.
- - - Elsaß. und Straßburg. *Chron. Königshofen* mit Histor. Anmerckungen. 4. mit Kupffern.
Schragii, Frid. *Introductio in Ius Canonicum.* 8
- - - *ad Institut. Justinian.* 8
Stahlii, Lazari, *Sceleton Geographiæ.* 4
Scriptores Rerum Germanicar. à Carolo M. usque ad Frid. III. inclus. cum Præfatione Jo Schilteri. fol.
Simanca, Jac. *de Republ. rectè instituenda & conservand.* 8.
Soarii, Cypr. *Rhetorica.* 8.
Statii, Pap. *Opera Poët.* 12.
Suetonius, Cajus, *cum Js. Casauboni & I. H. Bœcleri animadvers.* 4.

T*Aboris*, Jo. Ott. *Comm. ad Tit. Cod. de Metatis & Epidemeticis*, von Einquartirungen. 4.
- - - *Collatio Iuris Romani & Hungar.* 4.
- - - *Criminalium definition. Racemationes.* 4.

Taboris



TABULÆ

In

H. GROTII

Jus Belli & Pacis.

LECTORI BENEVOLO
S. P.



Abulas istas, Benivole Lector, Illustrissimo Baroni Boineburgio *debes: qui pro singulari suo in civilia studia favore, id quoque monumenti, à magno quodam viro confecti, liberaliter submisit. Cum autem in ampla illa & usitata forma, minoris moduli libris satis incommode jungantur Tabulæ ejusmodi; contractis ad paginarum mensuram, numero autem multiplicatis spatiis proposuisse, nec argumento, nec lectori, fraudi fuerit, opinor. Vale.*

Tabula I.

De Jurisprudentiæ Fine, Subjecto, Mediis.

In doctrina JURISPRUDENTIÆ (quæ definitur, *Ars æqui & boni*; item *Divinarum & humanarum rerum notitia*) consideratur, *Finis*, *Subjectum*, *Media*.

I. FINIS
- 1. *communis* cum politica doctrina.
- 2. *proprius*, videlicet Justitia, quæ est constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi.

II. SUBJECTUM est societas complurium pagorum, quæ dicitur Civitas; tum si non omnium, tamen plurium civitatum & populorum, quæ dicitur Vniversitas generis humani; quorum personæ inter se habent negotia de rebus ad ipsas pertinentibus. (*prolegom.*) Utraque ergo Communio seu societas constat
- 1. *Personis*, quæ sunt Mares & Fœminæ
  - singulæ
  - in corpus collectæ.
- 2. *Rebus*, quæ extra hominem existunt,
  - *Corporales*, hoc est res
    - *Mobiles*, ut equus, argentum.
    - *Immobiles*, ut res soli, vel solo cohærentes.
  - *Incorporales*

A B C

A B C

Incorporales, id eſt, rerum emolumenta, & quæ tangi non poſſunt, qualia ſunt, quæ in jure conſiſtunt: quarum utriusque generis aliæ

ſeparata ſunt, tam ſingulæ, quàm rerum emolumenta,

in univerſitate poſita, tam res plures ſimul, quàm rerum emolumenta aggregata,

3. *Actibus humanis*, qui ab hominibus aguntur & fiunt: *Verba* ſcilicet, quæ vel ore vel ſcriptis proferuntur; & *Facta*, quæ quolibet alio geſtu corporis explicantur: aut *non facta*. Cujusmodi actus ſunt vel

proprii, qui ſingulos homines auctores habent,

communes, qui à pluribus in unum collectis expediuntur.

III. MEDIA, quibus Finis ſeu Juſtitia in ſubjectum ſeu ſocietatem introducitur, conſiſtunt in juris *Obſervatione & Executione*. Ut autem ſocietas ſeu communio eſt duplex, una generis humani, altera civitatum ſingularium: ita Jurisprudentia, quæ tradit media introducendi juſtitiam in communionem,

A Du-

A

Duplicem sortitur tractationem, quarum

Prior habet rationem generis humani, & tradit præcepta, quibus magna illa universitas & complures populi, in pacis & belli negotiis jus & justitiam colere debeant. Hujus Jurisprudentiæ tractatio iterum est duplex

Generalis. D.

Specialis.

Posterior, habet rationem singularum civitatum, quod scilicet in unaquaque societate civili & leges condi, & justitia in civitates introduci, ibique administrari debeat.

Tabula II.

De Jurisprudentia, quæ humanum genus respicit,

Tractatione Generali.

D E F

TRACTATIO GENERALIS tradit

I. *Varias significationes juris.* Nam jus significat

id quod justum est, idque negante magis sensu, quàm aiente, ut *jus sit, quod non est injustum.* 1, 1, 3. Est autem *injustum*, quod naturæ societatis ratione utentium repugnat. F.

D E F G H

Sicut autem societas *alia* est *sine inæqualitate*, ut inter fratres, cives, amicos, fœderatos: *alia inæqualis*, ut inter patrem & liberos, dominum & servos, regem & subditos, Deum & homines: ita *Justum aliud* est ex æquo inter se viventium, *aliud* ejus, qui regit, & qui regitur, qua tales sunt: quorum hoc jus *Rectorium*, illud *Æquatorium* recte vocatur. 1, 1, 3.

2. *Qualitatem moralem*, competentem personæ ad aliquid habendum & agendum 1, 1, 4. Hæc qualitas est duplex

1. *Perfecta*, quæ dicitur *Facultas* & *Jus* proprio significatu §.4. Hoc *Jus* est duplex

1. *Vulgare*, quod usus particularis caussa comparatum est §.6. idq; duplex

1. *Potestas* §. 5.

In se, quæ dicitur libertas §.5.

In alios, ut potestas paterna, dominica &c. §. 5.

2. *Dominium* §. 5.

plenum §. 5.

minus plenum, ut ususfructus &c. §. 5.

3. *Creditum*, cui ex adverso respondet debitum §. 5.

G H

E F G

E F G H I K

2. *Eminens*, quod competit communitati aut supremæ poteſtati in ſingulos cives & res civium §. 6.

2. *Imperfecta*, quod dicitur *Aptitudo* §.4.& 7.

3. *Legem* §. 9. In ſignificatu Legis notentur

1. *Definitio.* Lex eſt regula actuum moralium, obligans ad id, quod rectum eſt §. 9.

2. *Officium.* Omnis lex aut jubendo aut vetando, aut permittendo ſciſcit aliquid de actu aliquo civili & naturali etiam, quatenus in ſocietatis finem tendit §. 9. 10. 17.

3. *Diviſio.* Jus in hoc legis ſignificatu eſt duplex §. 9.

1. *Naturale.* Idque etiam duplex §. 10.

1. *Commune animantibus cum homine*, ſeu quod natura omnia animalia docuit, ut ſcilicet generent, & generata conſervent. Et hinc deſcendit maris & fœminæ conjunctio, ut & ſobolis procreatio & educatio.

F G H I K L M

Hoc tamen jus à Romanis Jureconſultis improprio quodam ſignificatu dicitur *jus naturæ.* Nam ſi quando brutis animantibus juſtitia tribuitur, id fit impropriè, & ex quadam umbra & veſtigio rationis. An vero actus ille, de quo jus naturæ conſtituit, ut prolis educatio, ſit nobis communis cum aliis animantibus, an vero homini proprius, ut Dei cultus, ad ipſam juris naturam nihil facit. §. 11.

2. *Proprium homini.* Juris naturæ in proprio hoc ſignificatu conſiderentur (§. 11.)

1. *Definitio*, utpote quæ

1. *ponitur* talis: Jus naturale eſt dictamen rectæ rationis, indicans actui alicui, ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali, ineſſe moralem aliquam aut neceſſitatem aut turpitudinem, ac conſequenter ab auctore naturæ DEO talem actum aut præcipi, aut vetari. §. 10.

2. *explicatur.* M.

L M

2. *Explicatur* sequentibus observationibus:

1. *quod actus illi*, de quibus definitio loquitur, & de quibus dictamen rationis extat, *sint per se & sua natura aut debiti, aut illiciti*: atque ideo à Deo necessario aut præcepti, aut vetiti §. 10.

2. *quod dicantur juris naturæ*

1. *quædam non proprie, sed reductive*, quibus jus naturæ non repugnat, sicut justa vocantur, quæ carent injustitia §. 10. 2, 8, 21.

2. *quædam per abusionem*, nempe ea, quæ ratio honesta esse judicat, sed non debita §. 10.

3. non ea tantum, quæ citra humanam voluntatem existunt, *sed multa etiam, quæ humana voluntate fiunt*. Sic dominium, quale nunc est in usu, voluntas humana introduxit: at eo introducto, contra jus naturæ fuerit, si invito domino dominium violetur §. 10. 2, 8, 1.

2. *Probatio*. L,

E I K L

2. *probatio*, ſeu ratio ſciendi : *an aliquid ſit juris naturæ* §. 12. quæ eſt duplex

Una à priori, ſi nempe oſtendatur rei alicujus convenientia aut disconvenientia cum natura rationali & ſociali §. 12.

Altera à poſteriore, ſcilicet ſi non certiſſima ratione, tamen probabiliter admodum juris naturæ eſſe, colligitur id, quod apud omnes gentes, aut certè omnes gentes moratiores tale eſſe creditur §. 12.

Voluntarium I.

2. *Quæſtionem præviam*, videlicet, An bellare unquam juſtum ſit? *Affirmativa* ſententia probatur

1. *ex jure naturæ*, *hiſtoria* & *ſapientum conſenſu* 1, 2, 1 & 2 & 3.
2. *ex jure gentium* §. 4.
3 *ex jure divino voluntario* §. 5.

Tabu-

Tabula III.

Adhuc de Jurisprudentia, quæ humanum genus respicit,

Tractatione Generali
Et quidem
De jure voluntario.

JUS VOLUNTARIUM, quod ex voluntate originem ducit (1, 1, 13.) & præcipit aut vetat ea, quæ non per se & sua natura, ut de jure naturæ supra est dictum, aut debita sunt, aut illicita, sed quæ constituens jus vetando illicita & præcipiendo debita facit §. 10. Hoc jus constitutum est vel

A B

I. *Ab Homine,* & dicitur *Jus Voluntarium Humanum* §. 14. idque est iterum duplex
- 1. *Jus Gentium*, quod Gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit § 14. In hujus juris consideratione observantur, C.
- 2. *Jus Civile*, quod à summa potestate in quavis societate civili constituitur, ut *Norma* (§. 14.) (*cum*
  - 1. *Publici Regiminis*, & dicitur *Jus publi-*
    - *Divinum & Ecclesiasticum*, quod pertinet ad cultum Dei.
    - 2. *Humanum & sæculare*, quod statum civilem describit.
  - 2. Dirimendarum controversiarum inter privatos, & dicitur *Jus privatum*.

II. *A Deo,* & dicitur *Jus voluntariũ Divinum* §.13. D.

CEF

C E F G

In Juris Gentium consideratione observentur

1. *Negotia*

1. *Pacis* 1, 1, 1. quando scilicet Jus Gentium observatur inter eas gentes, quibuscum pax est. Pax vero est inter diversos populos justa concordia. Ex qua alii cum aliis secure agunt. Hoc jus pacis respicit populorum colentium pacem

1. *Statum* seu conditionem eorum inter se & cum aliis: unde sunt vel
   1. *Amici*, qui inter se habent jus
      1. *Hospitii* 2, 15, 5.
      2. *Commercii* 2, 15, 5. & 6.
   2. *Socii* ad sustinendam securitatem communem & arcendum impendens periculum. 2, 15, 6.
2. *Dominium* seu jus, quod in rebus tam mobilibus quàm immobilibus, veluti sunt territoria, urbes &c. cuique genti & populo absque aliorum injuria aut damno competit. Dominia talia possidentur jure vel pleno vel hæreditario vel usufructuario. 1, 1, 5. G.

E F G

3. *Debitum* seu *officium*, quod inter eos, qui pacem inter se habent, mutuo est præstandum, quo spectant

1. *Jus*

1. *Secure & cum dignitate congrediendi.* 2, 23, 7.
2. *Legationum.* 2, 18.
3. *Contrahendi & paciscendi.* 2, 18.
4. *Fœderis faciendi ob commercia & auxilia.* 2, 15, 6.

2. *Fidei datæ observantia.* 2, 13, 21. 3, 19. 3, 25.

4. *Delictum contra jus pacis* (2, 1. 2. 2, 17, 1. 2, 20, 38. & 40. c. 21. & 22.) cum

1. *injuria infertur personis* 2, 1, 3.
2. *res invaduntur* 2, 1, 11.
3. *debita non præstantur* 3, 1, 2.

2. *Belli.* 1, 1, 1. & 2. quando scilicet inter diversos populos justa est contentio, estque vel *solenne*, ut indictum; *vel minus solenne*, ut repressaliæ. Jus belli respicit populorum

1. *Statum* seu conditionem populorum, inter quos lis & contentio intercedit 1, 1, 2. 2, 1, 2. Et sic sunt vel

1. *Inimici*, quibuscum nulla est amicitia vel juris communio, veluti cum adversariis 2, 15, 5.
2. *Hostes*, proprie ita dicti, quos offendere & omnino perdere licet 2, 15, 5. 3, 3, 1.

2. *Dominium*, H.

H 2. *Do-*

H

2. *Dominium*, inter eos, quibuscum bellum intercedit, est, cum vel singulæ *personæ* 3, 4 & 7. & *res* 3, 5 & 6. *capiuntur*, aut *postliminio* (3, 9) *recuperantur*, vel *universa*, *deditione* aut *victoria* in dominium veniunt, 3, 4, §. 11 & 12. c. 11. §. 13 & 15. c, 8, 15. c. 20, 50.

3. *Debitum* inter eos, quibuscum bellum est, id est, quod iis præstandum est, quibuscum lis & bellum intercedit, veluti est

1. *Jus congressus*. v. supra.
2. *Legationis* 2, 18.
3. *Conventionis* 3, 20.
4. *Fœderis militaris* in induciis 3, 21. obsidibus dandis, & aliis 2, 15, 16. 3, 20, 52.

4. *Delictum* inter eos, quibuscum bellum intercedit, est, cum

1. *bellum injuste suscipitur* ex caussis variis 2, 22.
2. *aliquid admittitur contra jus*
   - *legationis* 2, 18, 11.
   - *congressus* 3, 24, 3.
3. *conventiones & fœdera bellica non observantur*. 3, 19, 14. 3, 20, 28 & 32.
4. *cum victor in executione modum excedit*. 2, 1, 18. 2, 26, 6. 3, 12, 8. 3, 15, 12.

D jus

D

Jus voluntarium Divinum, quod ex voluntate ortum habet, & promulgatum eſt à Deo poſt conditum hominem. Hoc jus datum eſt (1, 1, 15.)

1. *aut humano generi ter,*
   1. *ſtatim poſt conditum hominem.*
   2. *in reſtauratione humani generis poſt diluvium.*
   3. *in ſublimiori reſtauratione per Chriſtum.* Hæc tria jura haud dubie obligant omnes homines ex eo, quantum ſatis ad eorum notitiam pervenerint.
2. *aut uni populo Hebræo,* ubi quæritur
   1. *an jure Hebræorum obligati fuerint alienigenæ?* N.v.1,1,16.
   2. *quem uſum habeat lex Divina data Hebræis*, tum in hac de jure belli, tum in ſimilibus aliis quæſtionibus? R. varium. Nam hic ſunt obſervanda tria (n. 17) I.

I

1. *Quod nempe præcepta Legis Divinæ non sint contra Jus Naturæ.* Permissio vero in lege Hebræa est aut

1. *Plena*, quæ jus dat ad aliquid omnino licite agendum: cujus generis permissione non minus quàm ex præcepto sequitur, id, de quo lex agit, contra jus naturæ non esse. (n. 17.)

2. *Minor plenâ*, quæ tantum impunitatem dat apud homines, & jus, ne quis alius licite impedire possit. De hoc genere permissionis aliter se res habet, ac in priore: sed raro locum habet hæc collectio: quia jam permittentia argumenta sunt ambigua, magis ex jure naturæ interpretari nos convenit, utrius generis sit permissio, quàm ex permissionis modo ad jus naturæ argumentando procedere. (n. 17.)

2. *Quod liceat nunc his, qui imperium inter Christianos obtinent, leges ferre ejus sensus, cujus sunt leges per Mosem data*, nisi si quæ sint leges, quarum tota substantia ad tempus Christi expectari & Evangelii nondum revelati pertineat, aut nisi Christus ipse contrarium in genere aut in specie constituerit: (n. 17.)

3. *Quod quicquid ad eas virtutes pertinens, quas Christus à Discipulis exigit, lege Mosis præceptum est, id nunc etiam* si non & amplius, *etiam præstandum*, ob clariores Evangelii promissiones. (n. 17.)

Tabu-

Tabula IV.

Jurisprudentiæ, quæ humanum genus respicit, absoluta tractatione Generali, sequitur

SPECIALIS TRACTATIO, in qua traduntur,

I. *Notatio* seu origo vocis: Bellum est à veteri voce *Duellum* &c. Grot. 1, 1, 2.

II. *Definitio*. Bellum est status per vim certantium, qua tales sunt. Quæ generaliter includit bellum tam privatum, quàm publicum. 1, 1, 3.

III. *Divisio*. Bellum est triplex

- 1. *publicum*, quod summæ potestatis auspiciis geritur. 1, 3, 1. 2, 1, 16. Estque duplex, vel
  - 1. *solenne*, quod ut ex jure gentium sit justum, duo habebit requisita
    - 1. ut geratur utrinque *auctore eo, qui summam habet potestatem in civitate*. 1, 3, 4. 3, 3, 4.
    - 2. *ut debiti ritus adsint*. 3, 3, 5.
  - 2. *minus solenne*, quod potest & ritibus carere, & geri in privatos, & auctorem habere quemvis magistratum. 1, 3, 4.
- 2. *privatum*, quod à privato in privatum geritur. 1, 3, 1, 2, 3. 2, 1, 3, 15.
- 3. *mixtum*, quod una ex parte est publicum, ex altera privatum. 1, 3, 1.

IV. *Causa*, scilicet

- 1. FINIS. A.
- 2. EFFICIENS. A.
- 3. MATERIA. A.
- 4. FORMA. A.

A D E

1. FINIS Belli est *Pax*, utpote quæ in bello semper est spectanda & amplectenda, etiam cum damno, Christianis potissimum. 1, 1, 1. 3. c. ult.

2. EFFICIENTES, sunt *persona belligerantes* 1, 3, 4.

1. *Principales*, qui gerunt bellum in sua re, in privata privatus, in publica re potestas publica 1, 5, 1. Et sic personæ principales sunt vel (1, 3, 1, 4.)

1. *Non subdita alteri* eæque vel

privata 1, 3, 1. & 2.

publica (& 5.

1. *non summa*, *ut magistratus* 1, 3, 4.

2. *summa*, ubi explicantur summæ potestatis (n. 4. & 5. 9.)

1. *Jura quatuor* 1, 3, 6.

2. *Definitio.* Summa potestas est, cujus actus alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti possint reddi 1, 3, 7.

3. *subjectum*, quod

1. *distinguitur* in

commune, ut civitas 1, 3, 7.

proprium, quod est persona una pluresue pro cujusque gentis legibus 1, 3, 7.

A D E

2. *Explicatur*. F.

F

2. *Explicatur* ulterius, ubi occurrunt
   1. *Bina opiniones* de subjecto summæ potestatis
      1. *prior* statuens summam potestatem semper esse penes populum, quæ refellitur 1, 3, 8.
      2. *posterior*, quæ statuit semper esse mutuam subjectionem Regis & populi, quæ etiam refellitur 1, 3, 9.
   2. *Vera sententia fundamenta* per quatuor cautiones, ut sunt
      1. distinguendam esse *vocum similitudinem in re dispari* 1, 3, 10.
      2. distinguendum esse *jus à modo habendi jus* 1, 3, 11. 12, 13, 14. & 15.
      3. summam potestatem non tolli *promissione etiam ejus, quod nec naturalis, nec divini sit juris* 1, 3, 16.
      4. summum imperium dividi interdum per *partes subjectivas*, aut *potentiales* 1, 3, 17, 18, 19, 20.
   3. *Quæstiones tres*, videlicet an summam potestatem habeant
      1. *qui inæquali fœdere tenentur* 1, 3, 21.
      2. *qui tributum pendunt* 1, 3, 22.
      3. *qui feudi lege tenentur* 1, 3, 23.
   4. Distinctio *imperii*, ut juris, ab actu imperandi seu usu juris 1, 3, 24.

E

Subdita alteri. Ubi quæritur, *an aut privatis aut publicis personis bellum gerere liceat in eos, quorum imperio, sive summo, sive minori subsint.* 1, 4. ubi notentur

1. Quod bellum in superiores, qua tales, *non sit*
   1 *licitum jure naturæ* 1, 4, 2.
   2. *concessum lege Hebræa* 1, 4, 3.
   3. *concessum lege Evangelica*, idque probatur
      1. *ex sacris literis* 1, 4, 4.
      2. *ex factis Christianorum veterum* 1, 4, 5.
2. *Quod inferioribus magistratibus non sit licitum gerere bellum adversus summam potestatem*, idque probatur & rationibus & sacris literis 1, 4, 6.
3. *Q.* An lex de non resistendo nos obliget *in gravissimo & certissimo discrimine* 1, 4, 7. Et quia summum imperium tenentibus resisti non potest, tenendi sunt *certi casus*, qui pariunt exceptionem. Sic jus belli datur
   1. *contra eum, qui jus imperandi habet, aut habuit*, nempe in Regem, qui
      1. *imperat libero populo* 1, 4, 8.
      2. *imperium abdicavit* 1, 4, 9.
      3. *regnum alienat, ad impediendam traditionem tantum* 1, 4, 10.
      4. *manifesto se hostem totius populi fert* 1, 4, 11.
      5. *amisit regnum ex lege commissoria* 1, 4, 12.
      6. *partem duntaxat imperii habet* pro ea parte, quæ ipsius non est 1, 4, 13.
      7. *resistendi licentiam certis casibus populo fecit reservari* 1, 4, 14.

G

ADG

A D G

2. *contra invasorem alieni imperii* (1, 4, 15.) *videlicet*

1. *licere ipsum* imperio dejicere

1. *ex jure belli manentis* 1, 4, 16.
2. *ex lege antecedente* 1, 4, 17.
3. *ex mandato jus imperii habentis* 1, 4, 18.

2. *non licere*

1. *extra prædictos casus* 1, 4, 18.
2. *Et privatos in jure* controverso judicium sibi sumere non debere 1, 4, 20.

2. *Adjuvantes*, quæ aliis opem ferunt 1, 5, 1.

3. *Instrumentales*, 1, 5, 1, 3.

MATERIA. vide Tabulas seq. libri II.

FORMA. De qua in Tabulis libri III.

Sequuntur TABULÆ Libri secundi.

ABC Tabula V.

MATERIA, ex qua bellum nasci solet, comode investigatur, si consideretur, quod bellū suscipitur *ab iis*, qui sunt vel *sui juris*, vel *sub alieno imperio*. Et quidem

1. *Sui juris*, utpote qui suscipiunt bellum
   1. *pro se*, considerando causam, an sit (T.VI.
      1. *justa* seu justifica. 2,1,1,2,22,1. de qua vid.

      A 2. *injusta* seu suasoria, ubi notandum

      B 1. quod *bella, quæ carent causis & justificis & suasoriis, sint ferina*. 2, 22, 2.

      2. quod *bella, quæ suasorias causas habent, non justificas, sint prædonum*. 2, 22, 3.

      3. quod quædam sint *causæ, quæ falsam habent justitiæ speciem, ut sunt*
         1 *metus incertus*. 2, 22, 5.
         2 *utilitas sine necessitate*. 2, 22, 7.
         3 *negantium matrimonium* in magna feminarum copia. 2, 22, 7.
         4 *cupiditas melioris soli*. 2, 22, 8.
         5 *inventio rerum occupatarū ab aliis*. 2, 22, 9.
         6 *etiamsi priores occupatores amentes sint*. 2, 22, 10. (22, 11.
         7 *libertatis desiderium in populo subdito*. 2,
         8 *voluntas regendi alios invitos* quasi ad ipsorum bonum. 2, 22, 12.
         9 titulus *universalis imperii*, quem quidam ascribunt Imperatori. 2, 22, 13.
         10 Alii *Ecclesiæ*. 2, 22, 14.
         11 *voluntas implendi vaticinia* sine Dei mandato. 2, 22, 15.

         C 12 *debitum, quod non ex jure stricto, sed aliunde profluit*. 2, 22, 16.

C

3. *Dubia*, 2, 23. ubi notentur

1. *causa dubitandi* in moralibus. 2, 23, 1.

2. *regulæ in dubiis*,

   1. *nihil faciendum contra rationis dictamen*, quamvis errans. 2, 23, 2, & 5.

   2. judicium in alteram partem duci

      1. *argumentis* rerum *intrinsecis* petitis à
         causis
         effectu
         adjunctis. 2, 23, 3.

      2. *extrinsecis*, *auctoritate & consilio sapientum*. 2, 23, 5.

   3. si utrinque dubitetur in re gravi, & alterum sit eligendum, *sumendum*, *quod est tutius*. 2, 23, 5. unde sequitur in tali casu *abstinendum bello*. 2, 23, 6. & *vitandum* id aut

      1. *colloquio*. 2, 23, 7.

      2. *arbitrio*, ubi de Christianorum Regum officio circa partes bellantes. 2, 23, 8.

      3. *forte*. 2, 23, 9.

      4. an etiam *certamine singulari*. 2, 23, 10.

   4. *meliorem esse conditionem possidentis* in pari dubio. 2, 23, 11.

   5. *si neuter possideat*, in pari dubio rem dividendam. 2, 23, 12.

3. Quæstio, *an detur bellum utraque ex parte justum*, multis distinctionibus explicatur. 2, 23, 13. 2, 26, 6.

4. *Necessaria*. C.

ABC

4. *Necessaria* ubi monetur de non temere etiam ex justis caussis suscipiendo bello. 2, 24. 3, 25. Est ergo bellum

1. vitandum

1. *ex dilectione*, quæ suadet

1. *Jus esse sæpe remittendum*. 2, 24, 1.
2. *maxime jus ad pœnam*. 2, 24, 2.
3. præsertim à Rege læso. 2, 24, 3.

2. ex cura sui & suorum. 2, 24, 4.

3. ex regulis prudentiæ circa electionem bonorum. 2, 24, 5.

4. à pœnis exigendis debere eum abstinere (§.6.) qui non multo validior §.7.

2. Suscipiendum

1. in summa necessitate, quæ rara. 2, 24, 8.
2. ex maxima caussa cum maxima occasione, nimirum, si à jure stent vires. 2, 24, 9.

2. *pro aliis*. 2, 25. 1, 5, 1.

1. *juste*

1. pro *subditis*, non semper tamen. 2, 25, 1, 2. & 3.
2. pro *fœderatis* æqualibus & inæqualibus 2, 25, 4.
3. pro *amicis*. 2, 25, 5.
4. pro *hominibus quibusvis*. 2, 25, 6. & 7.
5. an pro *subditis alienis*. 2, 25, 8.

2. *injuste*

1. *in societate & mercenaria militia sine discrimine*. 2, 25, 9.
2. *prædæ & stipendii caussa*. 2, 25, 9. & 10.

2. *sub alieno imperio*. A.

A

2. *Sub alieno imperio*, & positi in conditione parendi 2-26. ubi notanda

1. *qui positi sint in conditione parendi*, nempe

   filii familiarum,
   servi,
   subditi,
   etiam *singuli cives*, si cum civitatis corpore comparentur 2, 26, 1.

2. Quid faciendum

   1. positis sub alieno imperio

      1. si *ad deliberandum adhibentur*, *aut liberam electionem habent*, *aut militandi*, *aut quiescendi* 2, 26, 2.
      2. si *imperetur illis*, *ut militent*, & illi caussam belli injustam credant, non militandum 2, 26, 3.
      3. si *dubitent*, quid tum faciendum 2, 26. 4.

   2. *Superioribus*, scilicet pietatis esse hac in re dubitantibus subditis parcere sub onere tributi extraordinarii 2, 26, 5. & medio militis conductitii, etiam mali.

3. *casus*, quo in bello manifeste injusto justa esse possunt defensio & arma subditorum 2, 26, 6. c. 1, 18.

Tabula VI.

A B *De justifica bellorum caussa.*

Justa seu *Justifica caussa belli* suscipiendi nulla alia est, nisi *Injuria.* 2, 1. (*factam.* Et quidem
Dantur autem actiones vel *ob injuriam nondum factam*, vel
1. *Nondum factam*, quae petit aut *corpus*, aut *rem*, & hinc oritur Defensio. 2, 1, 2.
1. *privata* §. 2. quae debet esse mera defensio sine jure ulciscendi §. 4. Defensio talis est vel
1. *personarum*, ubi bellum est
1. *licitum*
1. *pro vita defendenda.* 2, 1, 4.
2. *contra aggressorem* solum, non interpositum alium innocentem. 2, 1, 4. (2, 1, 5.
3. *in periculo praesente & certo*, non opinabili
4. *pro integritate membrorum.* 2, 1, 6.
5. *maxime pro pudicitia.* 2, 1, 7.
2. *illicitum*
1. *adversus personam publice valde utilem.* 2, 1, 9.
2. *ad arcendam alapam*, aut contumeliam similem, ne refugiatur. 2, 1, 10.
A
2. *rerum*, ubi notandum §. 11. an (naturae 2, 1, 11.
1. *pro reb. defendendis interfectio* nō sit illicita jure
2. quatenus ea permissa sit lege Mosis. 2, 1, 12.
3. an & quatenus lege Evangelica. 2, 1, 13.
4. an lex civ. interfici aliquē defensionis causa permittēs, jus det, an solā impunitatē 2, 1, 14.
5. *duob. modis* posse contingere, ut à privatis sine peccato suscipiatur singularis dimicatio,
1. si *invasor concedat alteri licentiam dimicandi* alioquin eum occisurus sine dimicatione. 2, 1, 15. (tos inter se committat §. 15.
2. si *Rex aut magistratus* duos mortem meri-

2. *publica.* B. A B

A B

2. *publica*, quæ adjunctum habet jus ulciscendi. Ubi notanda

1. quod quæ superius de privato bello dicta sunt, *ad publicum quoque aptari* debeant. 2, 1, 16.
2. quod jure gentium arma non recte sumantur *ad imminuendam potentiam crescentem*, quæ nimium aucta nocere posset. 2, 1, 17.
3. quod in eo non sit justa defensio, qui bello causam dedit. 2, 1, 18. nisi in nulla satisfactione placabilem. *hic* & 24, 4. aut inhumane sævum. 2, 26, 6.

2. *Factam*, ut illa injuria aut *reparetur*, aut puniatur. Et quidem

1. *Reparetur*. 2, 2, 1. Quod reparandum venit, spectat aut *id quod nostrum est*, aut *quod nobis debetur*. Et quidem

C 1. *id quod nostrum est*. Ut hæc actio recte instituatur, sciendum est, *quæ sit vis dominii*, & *quæ obligatio inde oriatur*, & quidem

D 1. *quæ sit vis proprietatis* quod ICti vocant *Dominium*. *Dominium incipit & desinit*.

1. Incipit, ubi considerentur

E 1. *proprietatis & dominii exordium*. 2, 2, 2.

F 2. *quod aliquid fiat nostrum* dupliciter nempe

1. *aliud jure hominum communi*, G.
2. *aliud jure nostro singulari*. de quo Tab. VII.

G H

GH

1. aliud jure hominum communi. 2, 2, 1. hoc jus, quod hominibus est commune, est

1. directe in res corporales. 2, 2, 1. quae sunt

1. aut *vacua à proprietate*, tales scilicet, ut

1. aut *propria fieri nequeant*, ut mare sumtum, aut pro suo integro, aut pro praecipuis partibus, & quare. 2, 2, 3. (priae. 2, 2, 4. Et sic

GH 2. aut *propria fieri possint, sed nondum factae sint* pro-

1. *solum non occupatum* cedere occupantibus, nisi per universitatem à populo occupata sint §. 4. (Lex obstet §. 5.

2. *Feras, pisces, aves* cedere occupanti, nisi

2. aut *jam facta sunt aliquorum propria*. 2, 2, 6. *In res proprias jam factas* competit hominibus *jus* citra omnem culpam possessoris, (§. 10.) (de qua 3, 1, 2. 3, 13, 1. 3, 15, 11. 3, 18, 1.)

1. *necessitatis, ius utendi, cum his cautionibus* (§. 6.)

1. *nisi necessitas aliter sit vitabilis*. 2, 2, 7.

2. *nisi par sit necessitas in possidente*. 2, 2, 8.

3. *adjunctum esse onus restituendi rem. Cum restitui poterit* §. 9.

Illatio hinc efflorescens: *locorum munitorum in bello occupatio & custodia evitandi periculi causa* §. 10. (§. 11. hinc manat

2. *utilitatis innoxiae*, h. e. qua nihil alteri decedat

1. *jus in aquam profluentem*. 2, 2, 12.

2. *jus transeundi terra & amnibus*. 2, 2, 13. Ubi quaestio de vectigali mercibus transeuntibus imponendo §. 14.

3. *jus morandi* ad tempus. 2, 2, 15.

4. *jus habitandi*, his competens, qui sedib. suis expulsi sunt, sub imperio quod reperitur 2, 2, 16.

5. *jus habendi loca deserta*. 2, 2, 17. FGH

2. aut ad actus aliquos, quos vita humana desiderat 2, 2, 18. idque vel
1. *Simpliciter*, utpote
1. *ad emenda necessaria* 2, 2, 19. non tamen ad res suas vendendas 2, 2, 20.
2. *ad quærenda matrimonia* 2, 2, 21.
2. *ex suppositione* faciendi ea, quæ promiscue extraneis permittuntur 2, 2, 22.

2. *aliud jure nostro proprio & singulari* per acquisitionem 2, 3. de quo Tabul. VII.

2. Desinit 2, 9. (dominium.
1. *derelictione*, quia voluntate cessante, non manet
2. *sublato eo qui jus habuit*, nec existente successore (2, 7.)
1. ut in *successionibus ab intestato* 2, 7, 1. & 3.
2. ut *in familia deficiente*, quæ jus aliquod habebat 2. 9, 2.
3. Quod attinet populum, is
1. *desinit esse* interitu
1. *corporis* scil. vel
sublatis partibus necessariis 2, 9. 4.
sublato toto corpore populi 2, 9, 5.
2. *speciei* s. spiritus & formæ, qua est populus 2, 9, 6.
2. *non desinit*
1. *migratione* 2, 9, 7.
2. *mutato regimine* 2, 9, 8.
3 *unione populorum* 2, 9, 9.
4. *divisione populi* 2, 9, 10. ubi corollaria subnectuntur
1. cujus nunc sint, quæ, *Romani Imperii fuerunt*, nec alienata apparent 2, 9. 11.
2. *de jure hæredum* 2, 9, 12.
3. *de jure victoris*, 2, 9, 13, lib. 3. à c. 4. ad 8.

E I

2. *quæ obligatio ex dominio oriatur adversum nos.* In hac materia occurrunt,

1. *Duæ regulæ.* Quemadmodum obligatio talis nascitur, aut ex *rebus extantibus*, aut *non extantibus*: ita cuique obligationi sua ponitur regula videl.
   1. E rebus extantibus obligatio hæc nascitur, qua *tenetur is, qui rem nostram habet in sua potestate, efficere quantum in se est, ut in nostram potestatem veniat* 2, 10, 1.
   2. De rebus non extantibus hoc humano generi placuit, *ut si tu ex re mea factus es locupletior, in tantum tenearis, in quantum factus es locupletior* 2, 10, 2.
2. *Quæstiones* seu potius resolutiones decem, videlicet
   1. *bonæ fidei possessorem ad restitutionem non teneri, si res perierit* 2, 10, 3.
   2. *Eundem teneri ad restituendos fructus extantes* §. 4.
   3. *& consumtos*, nisi alias consumturus nõ fuerit §. 5.
   4. *non eos, quos neglexit percipere* §. 6.
   5. *non teneri eundem ad restitutionem rei, quam donavit alii*, cum distinctione §. 7.
   6. *nec si rem emtam vendiderit*, similiter cum distinctione §. 8.
   7. *quando pretium aut ejus partem servare possit*, qui rem alienam bona fide emit. §. 9.
   8. *rem alienam emtam restitui venditori non posse* §. 10.
   9. *qui rem habet, cujus ignoretur dominus*, nemini teneri emta concedere §. 11.
   10. *ob causam turpem aut alioqui vetitam acceptum non esse restituendum naturaliter.* §. 12.

CDI

3. *Refutatio* sententiæ statuentis, rerum quæ pondere, numero, mensura constant, dominium sine consensu domini transire 2, 10, 13.

2. *Quod nobis debetur.* 2, 11. de quo infra Tab. IX.

2. *Aut puniatur.* Ubi agitur de pœna primitiva & derivativa. 2, 20, & 21, v. Tab. XV.

Tabu-

Tabula VII.

De Acquisitione originaria.

Jure singulari nostrum fit Acquisitione (2,2,1.2,3,1.)
I. Originaria II. Derivativa.
Et primo quidem Originaria (2, 3, 1.) in
1. *Res*, quae
1. *nullius fuere*, ita ut dominum
1. *vel nondum habuerint.* Tales
1. olim cum genus humanum coiret, acquirebantur per divisionem 2, 3, 1.
2. *nunc acquiruntur*
non 1. *concessione juris incorporalis* 2, 3, 2.
2. *nec specificatione* 2, 3, 3.
sed tantum *per occupationem.* Ubi notandum
A B C
1. *in genere*, quod in rebus, quae proprie nullius sunt, duo sint occupabilia, nempe
1. *Imperium* 2, 3, 4. quod acquiritur summis potestatibus (& ei inest jus illud eminens in personas & res singulorum 1, 1, 6.) Imperium habet duas *materias* sibi subjacentes, *primariam*, personas, quae materia interdum sola sufficit; & *secundariam*, locum qui territorium dicitur 2, 3, 4.
2. *Dominium*, quatenus ab imperio distinguitur, est singulorum proprietas 2, 3, 4.
D

CD 2.

C D

2. *In specie* vero quod

1. occupatio mobilium rerum lege possit anteverti 2, 3, 5.
2. dominium infantium & amentium nitatur jure §. 6.
3. occupari possunt flumina §. 7.
4. etiam mare, sed certo modo §. 8. & 12.
5. imperium in partem maris occupari potest *n.* 13. Hinc sequitur quod
   1. vectigal navigantibus mari ex certis causis imponi queat *n.* 14.
   2. pactiones possint fieri, quæ vetant ultra terminos maris navigare *n.* 15.
6. Fluminis cursus mutatus an territorium immutet, cum distinctione explicatur *n.* 16.
7. quid sentiendum sit, si alveus plane mutatus sit *n.* 17.
8. flumen interdum totum accedat territorio *n.* 18.

2. *Vel habuerunt*, sed habere desierunt: puta, quia derelictæ sunt, aut quia defecerunt domini. Nam hæc redierunt in eum statum, in quo primum res fuerant *n.* 19.

C A B

AB (tio rerum derelictarum

2. *Derelicta sunt*, omissa scilicet possessione. Acquisi-
1. *non fit, usucapione* aut *præscriptione* proprie ita dicta inter populos diversos, eorumve rectores 2,4,1.
2. *fit*, per longævas possessiones §.2. Et sic acquirun- (tur
1. *Dominium*, probando res esse derelictas
1. *ex præsumtione & conjecturis humanæ voluntatis*, quæ petuntur
1. non ex *verbis* tantum §.3. 2. sed & ex *factis* *n*.4. 3. & ex *non factis*, & in primis ex silentio *n*.5. sed requiritur ut silentium sit *scientis, libere volentis*. 4. *à tempore*. quomodo tempus adjunctum non-possessioni & silentio ad conjecturam juris derelicti valeat, exponitur *n*.6. ordinarie tamen ad talem conjecturam sufficere tempus memoriam excedens, & quale hoc sit *n*.7. cui annectitur quæstio, an aliquis præsumendus suum jactare? imperiaque tandem in certo constitui debere probatur *n*. 8.
2. ex *jure gentium voluntario*, quo sc. introducta sit lex, ut possessio memoriam excedens, non interrupta, nec provocatione ad arbitrum interpellata omnino dominium transferat *n*.9.
2. *Jus summæ potestatis* aut regi, aut populo. Ubi notanda quatuor: 1. *an ll. civiles de usucap. & præscriptione teneant eum, qui summam potestatem habet*, cum distinctionibus explicatur *n*.12. 2. *ea jura, quæ separabiliter & communicabiliter adhærent summo imperio, usucap. & præscriptione quæri & amitti n*.13. 3. refellitur sententia statuens, *semper subditis licere se in libertatem vindicare n*. 14. 4. *quæ mera sunt facultatis, nullo tempore amitti*, quod explicatur *n*. 15.

2. *Personas*.

A E

2. *Personas.* Jus in personas originarie acquiritur: *Generatione*, *Consensu*, *Delicto*. Et quidem

1. *Generatione*, quia parenti utrique, patri scilicet & matri jus in liberos acquiritur 2,5,1. ubi notanda
   1. quod si contendant inter se imperia patris & matris, *praefertur patris imperium*, ob sexus praestantiam §.1.
   2. *Distinguenda* sunt in liberis *tria tempora*
      1. *imperfecti judicii*, quo omnes liberorum actiones sub dominio sunt parentum. Sunt tamen liberi eo tempore capaces dominii in res ex jure gentium, sed *exercitium* impeditur 2, 5, 2.
      2. *Judicii maturi, sed dum filius pars manet familiae parentum:* quo tempore subsunt parentum imperiis, non aliae actiones, quam quae ad familiae statum aliquid momenti habent: in ceteris liberi habent facultatem moralem agendi, sed pietas in parentes suadet, ut non nisi parentibus grata & accepta agant *n.* 3. ubi annectuntur quaedam *de jure* 1. *cogendi seu coërcendi.* 2. *vendendi liberos n.*4. *&* 5.
      3. *Postquam ex familia excessit*, quo tempore filius in omnibus est sui juris, salvo tamen perpetuo pietatis & observantiae debito *n.*6. Hinc nascitur distinctio potestatis parentum in potestatem eorum *naturalem* & *civilem n.*7.

2. *Consensu.* Quod jus oritur
   1. aut ex *consociatione*. F.
   2. aut ex *subjectione*. F.

F G

1. & primo quidem ex *consociatione*

1. *privata* & maxime naturali *inter maritum & uxorem*, inter quos imperium non est commune, sed maritus est uxoris caput, nempe in rebus conjugii, & in rebus familiæ, ubi notentur

1. *quid sit conjugium.* Conjugium naturaliter existimamus talem cohabitationem maris cum fœmina, quæ fœminam constituat quasi sub oculis & custodia maris. Nam tale consortium & in brutis animantibus quibusdam videre est. In homine vero, qua animal est, utens ratione, ad hoc accessit Fides, qua se fœmina mari obstringit 2, 5, 8.

2. *quod conjugii indissolubilitas & adstrictio ad unam uxorem non sit necessaria ex lege naturæ & lege divina ante Evangelii promulgationem per Christum, sed tantum ex lege Evangelica.* §. 9.

3. *illicita & vetita*

1. jure naturæ non esse *connubia ob defectum consensus parentum* §. 10. 2. ex lege Evangelica esse *connubia cum alieno viro & uxore* §. 11. 3. jure naturæ esse *connubia cum liberis n.* 12. 4. jure divino voluntario esse, *connubia fratrum cum sororibus* : item *novercæ cum privigno*, & *soceri cum nuru. n.* 13. Non idem videri de propinquis ulterioris gradus *n.* 14. 5. posse esse quædam connubia licita, quæ à legibus appellantur nomine *concubinatus* §. 15. 6 posse esse quædam connubia illicita contracta, & tamen *rata n.* 16.

2. *Publica* v. G

E F G

2. *Publica consociatio* est

1. *Aut in populum*, ubi in tali consociatione observentur 1. quod *pars major* universitatis hobeat jus integri, & nomine universitatis obliget singulos, qui sunt in societate 2, 5, 17. 2, quæ sententia *in pari numero* prævaleat *n.* 18. 3. quæ sententiæ *dividenda*, quæ *conjungenda n.* 19. 4. quod *absentium jus* præsentibus accrescat *n.* 20. 5. qui *ordo inter pares*, etiam Reges *n.* 21. 6. In *societatibus, quæ fundamentum habent in re*, sententias æstimandas secundum partes, quas quisque habet in re. *n.* 22. 7. *Jus civitatis in subditos n.* 23. 8. *an civib. à civitate discedere liceat*, per distinctionem explicatur *n.* 24. 9. *jus civitati nullum in exules. n.* 25.

2. aut *ex populis* seu plurium populorum, & dicitur Fœdus, de quo cap. XV.

2. *subjectione* 2, 5, 26. quæ est

1. aut *privata*, & potest esse multiplex, sicut multiplicia sunt regiminum genera. Inter species ejus 1. nobilissima est *arrogatio*, qua quis ita se dat in familiam alterius, ut ei subsit ad eum modũ, quo filius, qui maturæ est ætatis, subest patri *n.* 26. 2. ignobilissima est, qua quis se dat *in servitutem perfectam.* Ubi notentur

1. *quid sit perfecta servitus n.* 27. 2. quatenus in hoc jure dicatur inesse *jus vitæ & necis n.* 28. 3. quid ex jure nat. statuendum de his, *qui ex servis nascuntur n.* 29. 4. *servitutis diversa genera n.* 30.

2. aut *publica*, qua se populus homini alicui, aut pluribus hominibus, aut etiam populo alteri in ditionem dat *n.* 31.

3. *Delicto n.* 32.

Tabula VIII.

De Acquisitione DERIVATIVA.

ACQUISITIONE DERIVATIVA sive alienatione *nostrum* fit aliquid aut *Facto hominis*, aut *per legem*, c. VI. Et quidem

I. *Facto hominis* alienantis. In tali alienatione considerentur

1. *Requisita*
   1. in *dante*. Ubi
      1. non sufficit actus internus voluntatis 2,6,1.
      2. sed simul requiruntur
         aut *verba*
         aut alia *signa externa* §. 1.
   2. in *accipiente* voluntas accipiendi 2, 6, 2.
2. *Materiæ alienabiles* sunt
   1. *Imperium*
      1. *majus seu summum*, ubi notentur sequentia
         1. Imperia alienari posse, interdum à rege, interdum à populo 2, 6, 3.
         2. *imperium in partem populi* alienari *parte invita* à populo non posse §.4.
         3. nec *ipsam partem* in se imperium posse alienare, *nisi in summa necessitate* §. 5. Ubi caussa diversitatis §. 6.
         4. *imperium in locum* posse alienari §.7.
         5. rejicitur sententia statuens, ob utilitatem aut necessitatem recte à rege imperii partes alienari §. 8.
      2. *minus seu subordinatum*. Ubi notandum quod ad alienādas jurisdictiones minores requiratur populi consensus, aut specialis, aut consuetudine introductus §.16.

A B C A B C

A B C

2. *Res imperii.* Ubi nota
1. *patrimonium populi* à Regibus alienari posse, 2, 6, 11.
2. distinguendas *res, quæ in fructu sunt patrimonii* à rebus patrimonii §. 12.
3. *partes patrimonii oppignorari* à Regibus, quatenus possint, & cur §. 13.

3. *Species alienationis* sunt
1. *infeudatio*
2. *oppignoratio* §. 9.
3. *testamentum* §. 14.

II. *aut per Legem.* 2, 7, 1.
1. *Natura*, quæ ex ipsa dominii natura & vi sequitur. Et sic fit alienatio dupliciter
1. *expletione juris*, quando id, quod meum nondum est, sed mihi dari debet, loco rei meæ, aut mihi debitæ; cum eam ipsam consequi non possum, aliud tantundem valens accipio ab eo, qui rem meam detinet, vel mihi debet. 2, 7, 2.
2. *Successione ab intestato*, quæ dicitur; posito dominio, remota omni civili lege, ex conjectura voluntatis naturalem habet originem. *Jus succedendi ab intestato* consideretur (§. 3.) vel
1. quoad modos *certos*. E.
2. quoad modos *incertos*. E.

D

E F (ratur

Jus ſuccedendi ab inteſtato *quoad modos certos* conſide-
1. *in genere*, ubi ea omnia, quæ huc afferuntur, non ſunt jure naturæ neceſſaria, ſed tantum naturali conjecturæ quàm maxime conſentanea §.11. Hic ſpectentur tria (7,7,3.
 1. *origo ſucceſſionis ab inteſtato*, quod ſit à natura
 2. *quando ab inteſtato detur ſucceſſio.* Nempe ſi *liberi*
  1. *Adſunt*, & tunc conſiderentur
   1. *Ratio ſuccedendi* ab inteſtato
    1. *ordinaria*, nempe
     1. *an aliquid de bonis parentum liberis jure debeatur*, per diſtinctionem explicatur 2, 7, 4. 2. in ſucceſſione *liberos defuncti parentibus* præferri, & cur §.5.
    2. *vicaria*, quæ *repræſentatio* dicitur, & fit per ſtirpes §. 6.
   2. *Exceptiones*, quæ ſupra *de conjectura voluntatis* allatæ ſunt, locum habent, niſi in diverſum ſuppetant *indicia*
    1. *de abdicatione*. 2. de exheredatione §.7.
    3. *de generis incertitudine*, ita ut non ſatis conſtet hunc illo eſſe genitum §. 8.
  2. *Deſunt*, ita ut nec teſtamentum, nec lex certa extent : & tum omnino videtur diſtinguendum inter *Bona*
   1. *avita*, quæ deferenda his, à quibus venerunt, aut eorũ liberis §.9.2. *noviter quæſita*, ut ei deferatur ſucceſſio, qui defuncto cariſſimus fuiſſe creditur. Is autem eſt, qui gradu cognationis proxime defunctũ attigit §.10.
 3. *Legum circa ſucceſſiones diverſitas* §. 11.

F E F

. *In specie* quoad successionem in regnis patrimonialibus : ubi considerentur, quæ modum habendi accipiunt ex populi libero consensu. 2.7,12. & succedendi ex ordine nascendi & naturæ indicio in individuis, à natu maximis incipiendum §.13. In his datur successio

1. *hæreditaria*, quando regna, populi libero consensu facta sunt hæreditaria, & ex præsumta populi voluntate deferuntur §.14. præsumitur enim populus id voluisse, quod maxime expedit. Ubi considerentur (§.14.)
   1. *requisita hæreditariæ successionis.* Regnum ex populi consensu hæreditarium 1. *in dubio est individuum* §. 14. 2. *non durat ultra posteros primi regis* §. 15. 3. *non pertinet ad liberos naturales tantum* §. 16. 4. *præfert mares fœminis in primo gradu* §. 17. 5. *& inter mares præfert natu maximum* §. 18.
   2. *quæstiones binæ* 1. *an tale regnum pars sit hæreditatis?* §. 19. 2. *præsumi in regno talem successionem institutam, qualis in aliis rebus in usu erat tempore regni inchoati*, sive regnum sit 1. *allodiale* §. 20. 2. *feudale* §. 21.
2. *Linealis.* 1. *cognatica*, in qua fœminæ & ex fœminis nati homines non excluduntur, sed postponuntur in eadem linea §.22. 2. *agnatica*, quæ est successio duntaxat marium ex maribus §.23.
3. *modi alii*, qui aut populi voluntate, aut ejus, qui regnum ita in patrimonio habet, ut alienare possit, introduci queunt.

2. Jus succedendi, *quoad modos incertos.* Ubi quæstiones, controversias ICtis de regnorum successione agitatas, decidentes §. 25. *& seqq.*

D

2. *Gentium* 2, 8. Et quidem legem gentium

1. *proprie ita dictam*; quæ distinguitur à lege naturæ, & pertinet ad mutuam gentium inter se societatem, diciturque supra *jus gentium voluntarium*. Quo spectat *acquisitio dominii in res & personas* jure belli & armorum, de quo jure agit *Grotius* 3, 6, 8. 3, 4, 7.

2. *Improprie à Romanis ICtis ita dictum*, utpote cujus modi acquirendorum dominiorum pertinent non ad jus gentium voluntarium, sed aut ad jus naturæ, non quidem merum, sed quod sequatur introductum jam dominium, & legem omnem civilem antecedat, aut ad ipsam legem civilem non solius populi Romani, sed multarum etiam vicinarum nationum 2, 8, 1. Hic notandi *modi acquirendi* juri huic gentium à *Romanis attribui soliti*, quorum

1. *occupatio eorum, quæ nullius sunt*, seu hero carentium 2, 8, 1. cujus species sunt 1. *captura ferarum* §. 2. 2. *thesauri inventio* §. 7.
2. *fluvialia incrementa* §. 8. insula nata §. 8. alluvio seu adjectio particularum §. 11.
3. *genitura animantium* §. 18. &c.
4. *confusio* §. 19. 21.
5. *specificatio* §. 19.
6. *plantatio & insitio* §. 22.
7. *ædificatio* §. 22. In quib. tres observandæ regulæ: 1. naturaliter, *confusis & commixtis diversorum materiis, communionem induci pro rata ejus, quod quisq; habet* §. 19. 22. 2. civiliter, *rem majorem vel quæ pluris est prævalentia sua ad se trahere minorem, natura tamen non repugnante* §. 19. 21. 3. *possessorem fructus ex re aliena non suos facere, sed impendia in rem & operam utilem facta ex iis deducere* §. 23. 24.
8. *traditio* §. 25.

Tabu-

Tabula IX.

De eo quod nobis debetur. v. Tab. VI. D.

Quod nobis debetur, persequimur *jure* (2,1,2. 2,11,1. 3,1.) *natura* vel *Gentium voluntario*. Et quidem

A. *Jure natura*. Idque vel *ex conventione*, vel *ex maleficio* vel *ex lege*. Et quidem

1. vel ex *conventione*, in qua spectari debent *vis conventionis*, *& interpretatio*. Et quidem
   1. *vis conventionis* consideratæ vel *absolute*, vel *cum respectu ad personas paciscentes*. Et quidem
      1. *absolute*, ex *promisso* vel *nudo*, vel *vestito* (2,11.)
         1. *nudo*, quæ conventio dicitur *promissio* 2,11,4. Circa *promissa notentur*
            1. quod *ex promissis naturaliter jus oriatur* 2,11,1.
            2. *gradus loquendi de futuris*
               1. *assertionem nudam* non obligare 2,11,2.
               2. *pollicitationem* naturaliter obligare, sed inde alteri jus non nasci §. 3.
               3. quando ad pollicitationem *signum* accedit *volendi*, jus propriũ alteri confert: quæ *perfecta promissio* est, similem habens effectum, qualem alienatio dominii (2,6,2.) Ad perfectæ promissionis vim requiruntur v. G

B C D E F

G Ad.

G

Ad *perfectæ promissionis vim* requiruntur

1. *in promittente usus rationis* 2, 11, 5, ubi additur
   1. an *promissio errantis* & quatenus obliget naturaliter §. 6.
   2. *promissionem ex metu* obligare, sed qui metui caussam dedit, teneri ad liberandũ promissorem §. 7.
2. ut id, *quod promittitur, sit in potestate promittentis* §. 8. ubi quæritur
   1. an *promissio ob caussam vitiosam valeat naturaliter*, & per distinctionem explicatur §. 9.
   2. quid sentiendum *de promissione facta ad consequendam rem jam ante debitam* §. 10.
3. *ut modus valide promittendi*
   1. *per nos ipsos fiat* per *actum externum*, h.e. signum sufficiens voluntatis, quale interdum potest esse nutus, frequentius enim vox & literæ §. 11.
   2. *per alios*, ubi & de *legatis mandata excedentibus* §. 12. hinc etiam observetur, *quatenus institoria & exercitoria obligatio ex jure naturæ procedant* §. 13.
4. *acceptatio* §. 14. ubi annectuntur
   1. an *acceptatio innotescere debeat promissori*, per distinctionem explicatur §. 15.
   2. *revocari promissionem posse mortuo ante acceptationem, cui promissum erat* §. 16.
   3. an *& internuntio mortuo*, per distinctionem explicatur §. 17.
   4. an *revocabilis sit promissio acceptatione per alterum facta*, per distinctionem explicatur §. 18.

mus promisso adjici, quo tempore possit 2, 11, 19.
quomodo convalescere possit invalida promissio §. 20.
promissiones sine caussa naturaliter non esse irritas §. 21.
qui factum alienum promisit, ad quid naturaliter teneatur §. 22.

stito

1. *contractu aliquo* vel jurejurando. De contractibus agitur
   1. *Generaliter*, videlicet
      1. de divisione *actuum humanorum*. Actus humani, qui sunt aliis hominibus utiles, dividuntur in
         1. *Simplices*, quorum alii
            Benefici
            1. *meri*, qui
               aut *in præsens absolvuntur*, ut factum utile, & donatio.
               aut *in futurum prominent*, ut promissiones tum dandi tum faciendi 2, 12, 2. (*disponunt*
            2. *cum mutua quadam obligatione*, qui
               aut *de re sine alienatione*
               aut de facto, ita ut aliquis effectus supersit 2, 12, 2.

            Permutatorii, qui
               aut *dirimunt partes*
               aut *communionem afferunt* §. 3. & 4.
         2. *Mixtos*
            1. *principaliter* §. 5.
            2. *per accessionem* §. 6.

HIK

I K

2. *De natura contractuum* notentur

1. quod omnes actus aliis utiles extra mere beneficos *contractuum* nomine appellentur 2, 12, 7.

2. quod in contractibus requiratur *æqualitas*, quæ consistit

1. *jure naturæ*

1. in *actibus*

1. *præcedaneis*, videlicet

scientia & intellectu rerum §. 9.

libertas volendi §. 10. (sit §. 11.

2. *principali*, ne plus exigatur, quàm par

2. *in eo, de quo agitur*, quod explicatur §. 12. quæ æqualitas locum habeat in actibus mere & partim beneficis §. 13.

2. *jure gentium* voluntario, quoque. Ubi una exceptio, quod inæqualitas rerum, in quam sine dolo partis consensum est, pro æqualitate habetur §. 26.

2. *Specialiter.* Ubi occurrunt 9. quæstiones

1. quomodo æstimand. *rei pretium* in venditione, & ex quib. causis juste crescat aut minuatur §. 14. 2 quando *naturaliter perfecta sit venditio*, & quando dominium transeat §. 15. 3. *monopolia*, quæ sint contra jus naturæ aut diligendi legem §. 16. 4. *pecunia functionem quomodo recipiat* §. 17. 5. de *conductionis mercede* naturaliter nihil remittendũ ob sterilitatem & similes casus, & quid si conductore primo impedito res alii locata sit §. 18. 6. *justa merces*, quomodo crescat & minuatur §. 19. 7. quo jure vetitæ sint *usuræ*, & quæ circa mutuũ notanda §. 20, 21, 22. 8. qualis æstimatio facienda sit *in contractu aversi periculi* sive assecuratione §. 23. 9. *qualis in societate.* Ubi multæ ejus species explicantur §. 24, 25.

ABC

B C D H

2. *jurejurando* 2, 13. de quo Tab. X.

2. *cum respectu ad personas paciscentes*, quarum præcipuæ sunt summi imperii compotes 2,14. & 15. v. Tab. XI.

2. *Interpretatio conventionum & pactorum* 2, 16. v. Tab. XII.

2. *vel ex maleficio* seu damno per injuriam dato 2, 17. v. Tab. XIII.

3. *vel ex lege* 2, 1, 2. 2, 17, 2.

Jure gentium voluntario, utpote quod induxit

1. *sanctimoniam legationum* 2, 18.

2. *corporum mortuorum sepulturam* 2, 19. v. Tab. XIV.

Tabu-

Tabula X.

De JUREJURANDO; *cujus mentio* *Tab. IX. lit. H.*

In *Jurejurando* ſpectantur *jurisjurandi*

1. *vis apud omnes populos & ab omni ævo* etiam ex paganorum opinione 2, 13, 1.
2. *requiſita*
   1. ut adſit *animus deliberatus*, nempe ut quis jurare voluerit §. 2.
   2. verba jurantis obligare *in ſenſu quo ea creditur accepiſſe, cui juratum eſt* §. 3. *juramentum dolo elicitum, quando obliget* §. 4.
   3. juramenti *verba* non eſſe extendenda *ultra receptum loquendi morem* §. 5.
   4. juramentum non *obligare*
      1. *de re illicita* factum §. 6.
      2. aut *quod impediat majus bonum morale* §. 7.
      3. aut *ſi factum ſit impoſſibile* §. 8. quid ſi impoſſibile ſit ad tempus? §. 9.
3. *Forma*
   1. jurari Deo nominato, & quo ſenſu §. 10.
   2. ſed & *nominatis rebus aliis* cum reſpectu ad Deum §. 11.
   3. juramentum etiam eſſe, etiamſi per falſos Deos juretur §. 12.

A

igatio ſeu *effectus.* Ubi notandum

. *obligatio* ex jurejurando eſt *duplex*, tempore juris-jurandi, & poſtea §. 13.

. quando ex jurejurando *jus quæratur Homini &* DEO, quando Homini tantum §.14.

. refellitur ſententia ſtatuens, *eum qui piratæ aut tyranno juravit, Deo non teneri* §. 15.

. qui perfido juravit an implere debeat, diſtinctione explicatur §. 16.

. Cum Deo ſoli quis obligatus fuit, heredem ejus ad nihil teneri §. 17.

. periurum non eſſe, *qui non implet nolenti impleri, aut ſublata qualitate ejus, cui ſub illa qualitate juratum eſt* §. 18.

. quando *irritum* ſit, *quod contra juramentum fit* §. 19.

. *ſuperiorum actus* quid poſſint circa id, quod ſubditus juravit, aut quod ſubdito juratum eſt, cum diſtinctione exponitur §. 20.

. *monita Chriſti de non jurando*, ad quale juramentum proprie pertineant §. 21.

uipollens, videlicet fides jurata, quæ juramenti vim ex more habet §. 22.

Tabula XI.

De conventionis vi cum respectu ad personas pacifcentes. Cujus mentio Tab.IX. lit.D.

Conventionis vis cum respectu ad personas paciscentes, quarũ præcipuæ sunt sumi imperii compotes, consideratur

1. *Generaliter* (2, 14.) de *eorum, qui summum imperium habent promissis, contractibus & juramentis.* Ubi spectatur, quid summæ potestati liceat
   1. *in actus suos,* ubi
      1. refellitur sententia statuens, *restitutiones in integrum ex jure civili venientes ad regum actus, quæ tales sunt, pertinere.* Item, *regem ex juramento non teneri* 2, 14, 1.
      2. *ad quos regum actus leges pertineant,* distinctionibus explicatur §. 2.
      3. *jurejurando quando rex teneatur aut non teneatur* §. 3.
      4. quatenus rex teneatur *his quæ sine caussa promisit* §. 4.
      5. usus ejus, quod de legum vi circa regum contractus dictum est §. 5.
   2. *in subditos,* quo spectant (§. 6.
      1. *subditis obligari naturaliter* tantum, an & *civiliter*
      2. *jus quæsitum subditis licite quomodo auferatur* §. 7.
      3. rejecta hic distinctio *juris quæsiti ex jure naturali aut civili* §. 8.
      4. contractus regum an leges sint & quando § 9.
   3. *in successores,* quo spectant
      1. quomodo ex regum contractibus *teneantur omnium bonorum hæredes* §. 10. 2. quomodo ex iisdem contractibus obligentur, *qui in regnum succedunt* §. 11. & quatenus §. 12. 3. *beneficia regum, quæ revocabilia sint, quæ non,* distinctione explicatur §. 13. 4. contractibus invasorum imperii an teneantur, quorum erat imperium §. 14.

'pecialiter, circa conventiones publicas (2,15.) quæ
. *Fiunt* non nisi jure imperii majoris aut minoris:
qua nota differunt non tantum à contractibus privatorum, sed & à contractibus regum circa negotia privata 2, 15, 1.

.. Dividuntur (2,15, 2.) in *Fœdera, ſponſiones, pactiones alias,* & quidem

1. *Fœdera,* quæ
   1. *fiunt juſſu ſummæ poteſtatis,* & in quibus & ipſe populus iræ divinæ obſtringitur, ſi minus ſtetur dictis §. 3.
   2. *dividuntur* 1. *male* à Menippo. § 4. 2. *melius* in ea fœdera,
      1. *quæ idem ſtatuunt cum jure naturæ,* & unde id natum §. 5.
      2. *quæ juri naturæ aliquid adjiciunt,* ubi attendantur Fœderum
         1. *Finis.* Fœdera tam æqualia quàm inæqualia fiunt aut *pacis,* aut *ſocietatis* alicujus cauſſa §. 6.
         2. *diviſio.* Fœdera ſunt vel
            1. *Æqualia*
               1. *pacis*
               2. *ſocietatis* pertinent
                  aut ad *commercia*
                  aut ad belli *communitates*
                  aut ad *res alias* §. 6.
            2. *inæqualia,* quæ promittuntur
               aut ex *parte digniori*
               aut ex *parte minus digna*
                  cum imperii imminutione
                  ſine imperii imminutione §. 7.

B C

2. *Quæstiones* ſequentes

1. *Fœdera cum his qui alieni ſunt à vera religione*

1. licita eſſe *jure naturæ* 2, 15, 8.

2. nec univerſaliter prohiberi *lege Hebræa* §. 9.

3. nec *Chriſtiana* §. 10.

4. *cautiones* circa talia fœdera §. 11.

2. Chriſtianos omnes obligari *ad fœdus ineundum adverſus hoſtes Chriſtianiſmi* §. 12.

3. *ſi plures fœderatorum bellum gerunt*, cui potius opem ferre oporteat, diſtinctionibus explicatur §. 13.

4. *an tacite renovatum cenſeatur fœdus* §. 14.

5. *an partis alterius perfidia alteram liberet* §. 15.

2. *Sponſiones* ſunt ubi *hi qui à ſumma poteſtate mandatum ejus rei non habent, aliquid promittunt, quod illam proprie tangit. Ubi notentur*

1. *in quid ſponſiones obligent* §. 3.

2. *in quid teneantur ſponſores*, ſi ſponſio improbetur, ubi de Caudina ſponſione §. 16.

3. *an ſponſio non improbata obliget ex notitia & ſilentio*, diſtinctionibus explicatur, ubi de ſponſione Luctatiana §. 17.

3. *pactiones alias* 2, 15, 2. 2, 11, 12. 3, 20, 21.

Tabu-

Tabula XII.

De conventionum INTERPRETATIONE.
cujus mentio Tab. IX. lit. C.

Conventionis INTERPRETATIO desumitur ex *bis* & *conjecturis*, 2, 16, 1. Et quidem *erbis.* & ita

1. *verba* si aliæ conjecturæ absint, *intelligenda ex proprietate populari* 2, 16, 2.

Conjecturis, aptatis verborum significationi, & natis tra verborum signific.

1. *Aptatis verborum significationi.* Ubi notentur
   1. Quod conjecturis ejusmodi opus, ubi *verba aut verborum complexio sunt ambigua* §. 4.
   2. *Loci*, ex quibus voluntatis conjecturæ promuntur, præcipui sunt
      1. ex *materia* §. 5.
      2. ex *effectu* §. 6.
      3. ex *conjunctis* aut *origine* aut loco §. 7. quo pertinet *conjectura ex ratione movente*, quæ quomodo & quando locum habeat §. 8.
   3. *Distinctio*
      1. *significationum* in *laxas* & *strictas* §. 9.
      2. *promissorum*, in *favorabilia*, *odiosa* & *media* §. 10.
      3. *Contractuum*, in *bonæ fidei*, & *stricti juris*, circa actus populorum aut regum rejicitur §. 11.

B

B

4. Ex dictis distinctionibus significationum & promissorum formantur *regulæ* circa interpretationes

1. In *non odiosis* sumenda verba secundum totam proprietatem usus popularis, &, si plures sint, eam quæ latissima est: quale est, ut masculinum sumatur pro genere communi, & indefinita locutio pro universali §. 12.

2. in *favorabilibus*, si is, qui loquitur, jus intelligat, aut peritorum juris consilio utatur, verba laxius sumenda, ut etiam includant significationem artis, aut quam lex dedit §. 12.

3. ad *significationes plane improprias* non recurrendum, nisi alioqui absurdum aliquid aut pacti inutilitas sequeretur §. 12.

4. ex contrario *verba etiam strictius, quam fert proprietas, sumenda erunt, si id necessarium erit, ad vitandam iniquitatem vel absurditatem* §. 12.

5. *Quæstiones*

1. An *sociorum* nomine *futuri* veniant, & quatenus: ubi de fœdere Rom. cum Asdrubale, & similibus controversiis §. 13.

2. Quomodo interpretandum, *ne alter populus alterius injussu bellum gerat* §. 14.

3. De illis verbis *liberam fore Carthaginem* §. 15.

4. Quæ pacta *personalia* habenda, quæ *realia*, distinctionibus explicatur §. 16.

5. *Fœdus cum rege initum* extendi ad regem regno pulsum §. 17.

6. Promissum ei, *qui primus hoc fecerit*, si plures simul fecerint, cui debeatur §. 19.

tatis extra verborum significationem, & promissione
itum nitentibus. Et talis *conjectura* se ultro offe-
is

1. aut *extendit*, & quando id fiat §. 20. Ubi & de
mandato per aliud implendo §. 21.

2. aut *restringit*; idque
vel ex *defectu originario voluntatis*, qui colligitur
1. ex *absurdo* §. 22.
2. ex *cessatione rationis unicæ* §. 23.
3. ex *materiæ defectu* §. 24. Observatio circa has conjecturas §. 25. (qui sumitur
vel *ex casus emergentis repugnantia cum voluntate*:
1. ex *illicito* §. 26.
2. ex *onere nimium gravi*, habita ratione actus §. 27.
3. ex *signis aliis*, ut ubi partes scripti inter se committuntur §. 28. & quæ tunc regulæ observandæ §. 29. Nota: *Scripturam* in dubio ad contractus validitatem non requiri §. 30.

luntur quæstiones duæ: 1. *Regum contractus*, *interpretationem ex jure Romano non sumere*. 2. *verba conditionem acceptantis an offerentis magis spectanda*, per distinctionem explicatur §. 32.

Tabula XIII.

De damno per injuriam dato 2,17. seu de eo quod *nobis debetur ex maleficio*. Cujus mentio

T a b. IX. *lit. B.*

In capite XVII. *de damno* per *injuriam dato & obligatione, quæ inde oritur*, obſerventur

1. *quid ſit maleficium.* Maleficium hic appellatur culpa omnis, ſive in faciendo, ſive in non faciendo, pugnans cum eo, quod aut homines communiter, aut pro ratione certæ qualitatis facere debent. Ex tali culpa obligatio naturaliter oritur, ſi damnum datum eſt, *nempe ut id reſarciatur* 2,17,1.
2. Quid ſit *damnum*. Damnum à demendo dictum, cum quis minus habet ſuo, ſive illud *ſuum* ipſi competat ex *mera natura*, ſive accedente *facto humano*, puta dominio, ſive ex *lege* §. 2.
3. accurate eſſe diſtinguendam *aptitudinem* à *jure ſtricte dicto*, ubi occurrunt, §. 3.
4. quod *minus* quis *habere*, ac proinde damnum feciſſe intelligatur
   1. *in re* §. 4.
   2. *in fructibus* §. 4.
      - ſive *percepti ſint*
      - ſive *non* §. 4.
   3. *in lucro ceſſante* quomodo §. 5.
5. *obligatio*. De qua v. A.

A

Obligatio. Ubi notentur

1. *quis teneatur*
   1. non tantum qui *per se immediate* damnum dedit §. 6.
   2. sed & *alii*
      1. *facientes*
         1. *primario* §. 6. Qui
            1. *jubet*
            2. *consensum requisitum adhibet*
            3. *adjuvat*
            4. *receptum præstat*
            5. aut *qui aliquo modo in ipso crimine participat.*
         2. *secundario*, qui
            1. consilium dat
            2. laudat
            3. assentitur §. 7.
      2. *non facientes*
         1. *primario*, qui cum ex jure proprie dicto debeat *vetare* præcepto, aut *opem ferre* ei cui fit injuria, id non facit §. 8.
         2. *secundario*, qui aut *non dissuadet*, cum debeat, aut *factum reticet*, quod notum facere debebat §. 9.
2. *quomodo teneatur*, & qualis efficacia circa actum ad hoc requiratur §. 10.
3. *quo ordine teneatur* §. 11.
4. *quod obligatio extendatur* v. B.

B

B

4. Quod *obligatio extendatur*

1. *ad damnum consequens* §. 12. exempla
   1. *in homicida* §. 13.
   2. *in eo qui aliter vim intulit* §. 14.
   3. *in adultero & stupratore* §. 15.
   4. *in fure, raptore, & aliis* §. 16.
2. ad eundem, *qui causam promissioni dedit per dolum* aut *metum* injustum §. 17.
   1. quid si metu justo Naturaliter? §. 18.
   2. quid de metu, quem Jus Gentium pro justo habet §. 19.
3. ad *potestates civiles*, & quatenus teneatur ex damno per subditos dato. Ubi quæstio *de prædis in mari actis* in socios contra imperium publicum §. 20.
4. non vero ob *damna ab animante & servis data* aliquem teneri §. 21.
5. ad eos, qui *damnum dant adversus famam & honorem*, & quomodo reparetur §. 22.

Tabu-

Tabula XIV.

De eo quod nobis debetur ex jure gentium voluntario.

Cujus mentio in TABULA IX. fin.

Restat, *Quod nobis debetur ex jure gentium voluntario*, ca *legationes* & *sepulturam corporum* 2, 18. & 19. Et idem

I. *Legationes*. Ubi notentur

1. Quod *jus legationum sit inter gentes sanctum*, & legati ejus vigore inviolabiles 2, 18, 1.
2. quod hoc jus ad eos *legatos* pertineat, *quos inter se mittant, qui summi imperii sunt compotes* §. 2.
3. Quod *duo* in materia de legatis ad Jus Gentium referri posse passim videamus
   1. *ut legati admittantur* §. 3. Nota: jus gentium non præcipit omnes legatos promiscue admitti, sed vetat sine caussa rejici. *Caussa* autem esse potest
      1. *ex eo qui mittit*
      2. *ex eo qui mittitur*
      3. *ex eo ob quod mittitur* §. 3.
   2. *ne legati violentur*, quoad
      1. *personas*. Ubi notentur
         1. adversus legatos periculosa molientes *defensionem* licitam, non pœnâ §.4. 2. legationis jure non teneri eum, ad quem *legatus missus non est* §. 5. 3. *hostem*, ad quem missus est legatus, teneri §. 6. nec opponi posse *jus talionis* §. 7.
      2. *comites* §. 8.
      3. *bona mobilia* §. 9.
4. exempla *obligationis sine cogendi jure* §. 10.
5. *quanti sit hoc jus legationis* §. 11.

A II.

A

II. *Corporum mortuorum sepulturam* 2, 19. Ubi notentur

1. *Ex eodem Jure Gentium nasci jus humandi mortuos* 2, 19, 1.
2. *unde ortum* §. 2.
3. *deberi & hostibus* §. 3.
4. An *etiam insigniter facinorosis* §. 4.
5. An *& his, qui se interfecerunt* §. 5.
6. *Quæ alia ex jure gentium debeantur* §. 6.

Tabu-

Tabula XV.

De INJURIA PUNIENDA 2, 20. & 21.
cujus mentio TAB. *VI. lit.* C.

Postquam *injuria* facta, *quæ debet reparari*, ctenus considerata est, restat *altera*, *ob quam is debet puniri*.

ıa est duplex. *Primitiva* & *Derivativa*. Et quidem
I. *Primitiva* 2, 20. de qua agitur
1. *in genere*, quoad pœnæ
1. *definitionem*. Pœna in generali significatu est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis 2, 20, 1. Nota: *pœna spectat ad justitiam expletricem*, & quomodo §. 2.
2. *caussas*: Ubi occurrunt *Efficiens*, *finis*, *materia*, *forma*. Et quidem
1. *Efficiens*, seu quis punire debeat. Nota: pœnam certæ personæ naturaliter non deberi, sed exigi pœnam licite, quoad jus naturale ab eo, qui paria non deliquerit §. 3.
2. *Finis* seu utilitas pœnæ. Ubi monstratur
1. pœnam *utilitatis caussa* exigendam inter homines, aliter quàm apud Deum, & quare §. 4.
2. quo sensu *ultio* naturaliter illicita sit §. 5.
3. Quod utilitas pœnæ, v. D.

ı B CD

D

3. *Quod utilitas pœnæ*

1. ex *lege naturæ* ſit *triplex*

1. *utilitas ejus, qui deliquit*, & hic oſtenditur, pœnam à quolibet naturaliter exigi, cum diſtinctione tamen 2, 20, 6. & 7.

2. *utilitas ejus, in quem deliquit*, ubi de ultione licita Jure Gentium §. 8.

3. *utilitas quorumlibet* §. 9.

2. ex *lege Evangelica*: quid ipſa lex Evangelica circa hanc materiam ſtatuerit §. 10. Ubi

1. ſolvitur argumentum ſumtum à *Dei miſericordia* in Evangelio patefacta §. 11.

2. Et à *præciſione pœnitentiæ* §. 12.

3. rejiciuntur *imperfectæ diviſiones* pœnarum §. 13.

4. *Chriſtianis privatis non eſſe tutum pœnam exigere*, etiam ubi Jure Gentium id licet §. 14.

5. aut ſponte ad *accuſationem proſilire* §. 15.

6. aut *judicia capitalia affectare* §. 16.

C 3.

C

3. *Materia* punienda. Ubi notanda

1. Leges humanas, quæ interfectionem ad pœnam permittunt, *an jus dent, an impunitatem solam?* resp. cum distinctione §. 17.

2. non *esse puniendos*
   1. *actus internos* inter homines §. 18.
   2. *actus externos, quos fragilitas humana nequit vitare* §. 19.
   3. *actus, quibus societas humana nec directe nec indirecte læditur* §. 20.

3. quod sententia statuens, *nunquam licere ignoscere*, sit rejicienda §. 21. ostenditurque
   1. *id licere*
      1. ante *legem pœnalem* §. 22.
      2. *non tamen semper* §. 23.
      3. *etiam post legem pœnalem* §. 24.
   2. *quæ caussæ* ad id faciendum sint probabiles
      1. *intrinsecæ* §. 25.
      2. *extrinsecæ* §. 26.

4. refelli sententiam statuentem, nullam esse justam *caussam dispensandi*, nisi quæ per modum exceptionis tacitæ insit legi §. 27.

C

C

4. *Forma* seu modus & pœnæ taxatio. Ubi spectari debent duo: (xatio §. 28.

1. *ob quod*, seu *meritum pœnæ*. Ubi consideratur ta-
   1. *intrinseca*, & quidem
      1. *caussa impellens* §. 29.
      2. *caussa*, *quæ retrahere debuit*, ubi de gradibus præceptorum Decalogi agitur §. 30.
      3. *aptitudo & idoneitas peccantis ad utrumque* §. 31. ubi addantur
         1. meritum pœnæ extendi posse *ad majus nocumentum*, *quàm quod peccans intulit* §. 32.
         2. rejicitur sententia *de proportione harmonica in pœnis* §. 33.
   2. *extrinseca*. Ubi notentur
      1. *minui pœnam ex caritate*, nisi major caritas obstet §. 34.
      2. quod invitamenta autem præcipua sint
         1. *facilitas peccandi* §. 35.
         2. *consuetudo peccandi* §. 36.
2. *cujus ergo*, seu utilitas, de qua supra.

B

2. *In specie, de pœna ad bellum.* An bella sint suscipienda

1. *ob delicta minora & vulgaria?* 2, 20, 38.
2. *ob delicta inchoata?* §. 39.
3. ob ea delicta, quæ contra jus naturæ fiunt? §. 40. ubi cautiones adhibendæ
   1. discernendum jus naturæ *à moribus civilibus late receptis* §. 41.
   2. & *à jure divino voluntario*, non omnibus cognito §. 42.
   3. in jure naturæ discernenda *manifesta* à *non manifestis* §. 43.
4. ob delicta in Deum? §. 44.
   1. *Notitiæ de Deo maxime communes*, quæ & quomodo primis decalogi præceptis indicentur §. 45.
   2. *qui has primi violant*, puniri posse §. 46.
   3. non item alios §. 47.
5. contra eos, *qui Christianam religionem amplecti nolunt?* Neg. §. 48.
6. contra eos, *qui Christianos ob solam religionem crudeliter tractant?* Aff. §. 49.
7. contra eos, *qui circa legis divinæ seu S. Scripturæ interpretationem hallucinantur?* Neg. §. 50.
8. contra eos, *qui in Deos*, quos putant, impii sunt? Aff. §. 51.

A

II. *Derivativa*, 2, 22. In pœna derivativa notentur

1. quomodo pœna transeat ad eos, *qui delicti sunt participes* 2, 21, 1.

2. quod ex *delicto*

1. *Subditorum* teneantur Rectores & communitas, si probetur (*bibendi* §.2.

 1. *patientia*, quæ constat 1. *scientia*. 2. *facultate pro-*

 2. *receptus*, §.3. ubi notentur tria, 1. *nisi* aut *puniant aut dedant* (§.4.) 2. *jura supplicũ* ad *infortunatos*, non ad nocentes pertinere (§.5.) 5. *defendi* tamen *supplices, dum de causa cognoscitur* §.6.

2. rectorum teneantur *subditi* aut *communitates*, & hi, qui *membra* sunt §.7. *Pœna jus in universitatem, quamdiu duret* §.8.

3. an *sine delicti communicatione pœna transeat?* §. 9. Ubi attendi debent

1. *Distinctiones*: *prima* ejus, quod *directe* infertur, & quod *in consequentiam venit* §.10. *Secunda* ejus, quod fit *occasione peccati*, & quod *ex caussa peccati*

2. *responsio* ipsa, in sequentibus consistens (§.11.

 1. proprie loquendo *neminem juste puniri ob delictum alienum*, & cur? §. 12. & 13.

 2. respondetur ad *Dei* facta *circa filios nocentum* §.14. multo minus *cognatos alios* puniri posse §.15. posse tamen liberis & cognatis nocentum aliquid negari, quod alioqui habere poterant §.15. & 16.

 3. nec *subditos* proprie puniri posse *ob Regis delicta* §. 17. (*universitatis* §.18.

 4. nec *singulos*, *qui non consenserunt*, *ob delictum*

 5. *Heredẽ ad pœnã*, quæ pœna est, *non teneri* §.19.

 6. *teneri* tamen, si pœna in aliud delicti genus transierit §.20.

Libri

Libri *secundi* Capitum XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. materiam & *εἰκονομίαν* exhibuit supra Tabula Quinta.

Sequuntur TABULÆ libri Tertii.

Atque adeo

Tabula XVI.

De Forma seu modo juris bellici.

Cujus mentio *in fine* Tab.IV.

Forma seu modus juris bellici spectatur *nude*, *&* ex *antecedente promisso*, (Tab. XX.) Et quidem

1. *Nude*, quid in bello liceat ex jure *naturæ* & *gentium*, & quidem jure
   1. *Naturæ*, 3, 1. Ubi observari debet agendi
      1. *Jus*
         1. *contra hostem*, quod patet ex tribus regulis
            1. *licere* in bello, *quæ ad finē sunt necessaria* 3,1,2.
            2. *Jus* non tantum *ex principio*, sed & *causis in bello subnascentibus* spectari §.3.
            3. quædam *consequi sine injuria*, *quæ ex proposito non licerent*, cui *cautio additur* §.4.
         2. in eos, *qui hostibus res subministrant*, per distinctiones explicatur §.5.
      2. *modus*
         1. *apertus* & bello proprius consistit in *vi & terrore* §.6.
         2. *latens per dolos*, v. C.

AB

C

2. *latens, per dolos*, ubi quæritur *an dolo uti liceat?* ubi occurrunt

1. *rationes*

| 1. *pro dolo*

| 2. *contra dolum* 3, 1, 6.

2. *doli distinctio.* Dolus consistit in *actu*

1. *negativo*, qui per se non est illicitus §. 7.

2. *positivo*, qui distinguitur in dolum qui fit

1. per *actus libere significantes in rebus*, qui *licitus* est §. 8. & dicitur *simulatio*.

2. per *actus significantes velut ex conventione in verbis* §. 8. in hoc genere proprie est *mendacium*, ubi afferuntur

1. *rationes*,

| 1. *contra mendacium* §. 9.

| 2. *pro mendacio* §. 9.

2. *conciliatio*, ex *acceptione vocis, largiore* & *strictiore*, & quidem

1. *largiore*, non omnem usurpationem locutionis, quæ sciatur in alium sensum accipienda, esse illicitam §. 10.

2. *strictiore.* v. D.

BD

2. *strictiore*, qua mendacii, qua illicitum est, *formam* consistere *in falsa significationis intentione*, atque adeo *repugnantia cum jure alterius*, i. e. judicandi libertate §. 11. quod explicatur 5. observationibus.

1. & ostenditur, licitum esse, *falsum loqui apud infantes & amentes* §. 12.

2. & cum is *decipitur, ad quem sermo non est*, & *quem extra sermonem decipere liceret* §. 13.

3. & cum qui loquitur, *utitur jure supereminente in sibi subditum* §. 15.

4. & cum sermo est ad eum, *qui velit ita decipi* §. 14.

5. forte &, cum *vitam tueri* aut *nostrum consequi* aliter non possumus §. 16.

3. qui auctores senserint *falsiloquium esse licitum adversus hostes* §. 17. ubi attendenda

1. non extendendum hoc ad *verba promittentia conventionum* §. 18.

2. nec ad *juramenta* §. 19.

3. generosius tamen esse *falsiloquio in hostem quoque abstinere*, quod per similia illustratur §. 20.

4. non licet nobis quenquam *impellere ad id, quod nobis licet, ipsi non licet* §. 21.

5. licere tamen uti *opera illicita ultro oblata* §. 22.

2. *Gentium*, in bello (3, 2, 1.) *minus perfecto* & *perfectiori*, & quidem

1. *minus perfecto*. v. E.

A E

1. *Minus perfecto*, ut *repressaliis*, quomodo sc. bona subditorum pro delicto imperantium obligentur, ubi notentur 3, 2, 1.
    1. quod *ex facto alieno* teneantur
        1. *jure naturæ mero* nemo nisi hæres & bonorum successor §. 1.
        2. *jure gentium voluntario* subditorum res & actus pro debito imperantium §. 2.
    2. quod hujus *belli imperfecti executio* consideretur quoad
        1. *causam* §. 2. 4.
        2. *species*, quarum
            1. prior dicitur *prehensio hominum* §. 3.
            2. posterior *pignoratio rerum* §. 4.
        3. *tempus*, si quod locum habeat, postquam jus est denegatum; ubi ostenditur, rem judicatam proprie jus non dare aut adimere in extraneos §. 5.
        4. *vitam subditorum*, quod illa non obligetur §. 6.
    3. *distingui* in hac materia debere id, quod est *juris civilis* & *gentium* §. 7.
2. *perfectiore* seu indicto, 3, 3. v. Tab. XVII.
2. ex *antecedente promissa*, seu ex fide hostium inter se 3, 19, 1.
3. *Dehortatio à bello*, cum *monitis* ad *fidem* & *pacem* 3, 25.

Tabu-

Tabula XVII.

De modo belli gerendi explicato nude ex jure gentium in bello perfectiori.

Cujus mentio *Tab. praced.*

Quoad *formam* seu *modum* belli gerendi explicatum *nude* ex *jure gentium* in bello perfectiori seu indicto, spectari debent *belli solennis & justi Natura* & *Effectus*, & quidem

1. *Natura*, quod nempe *justum & solenne bellum ex jure gentium*
   1. *dicatur* 1. non ex *materia* & causa unde oritur §, 3, 1. neque 2. ex *rerum gestarum magnitudine*. Sed 3. ob *peculiares quosdam juris effectus* §. 1.
   2. *requirat* ad sui naturam, ut
      1. *geratur inter diversos populos*, jure summi imperii distinctos, quosvis §. 1. ubi notentur
         1. distinctio *populi* quamvis *injuste agentis*, à *piratis* & *latronibus* §. 2.
         2. *mutationem interdum incidere* §. 3.
      2. habeat *auctorem eum, qui summam potestatem habet* §. 4.
      3. *publice decretum sit*, & quidem ut ejus rei *significatio* ab altera partium alteri facta sit §. 5. circa doctrinam de belli denuntiatione observanda sunt, nempe B.

A

AB

1. quid in denuntiatione sit *juris nat.* quid *juris gentium proprium* §.6. Quod (2) *denuntiatio* sit alia *conditionata*, alia *pura* §.7. quid (3) in denuntiationibus sit *juris civilis, non gentium* §.8. Bellum (4) alicui indictum, simul *indictum esse* ejus *subdit.* & *soc.* qua ipsum sequuntur §.9. *non qua per se* (5) consideratur. *Caussa* (6) *cur denuntiatio ad effectus quosdam requiritur* §.11. *hos effectus* (7) *non reperiri in aliis bellis* §.12. Bellum (8) an *simulac indictum est*, geri possit? §.13. an (9) indicendum ei, *qui jus legationis violavit*? aff. §.14.

2. *Effectus proprii* 3, 4, 1. quoad jus *externum*, & quoad *justitiam aliasque virtutes* in bello, & quidem

1. *jus externum*, seu id quod in bello solenni impune facere licet, ubi examinari debent (3,4,2. 3, 4,5. 3, 10, 1.)

   1. vocis *Licere* significatio

      1. *propria*, quando licere dicitur id, *quod rectum ex omni parte piumque est*, etiamsi forte aliud quid fieri possit laudabilius 3, 4, 2.

      2. *minus propria*, quando licere dicitur, non quod salva pietate & officiorum regulis fieri potest, sed *quod apud homines pœnæ non subjacet* §. 2. & dicitur *licere impunitatis* §. 4.

   2. *Ipsi effectus bello solenni proprii*, v. D.

CD

D

2. *Ipsi effectus bello solenni ex jure gentium proprii,* utpote qui
1. *sunt introducti* ob *duas* præcipue *causas*
1. quod *inter duos populos de jure belli pronuntiare velle*, pericnlosum fuerat aliis populis, qui ea ratione bello alieno implicarentur 3, 4, 4.
2. quod etiam in bello justo vix satis cognosci potest ex indiciis externis, *quis justus sit se tuendi modus*, ita ut omnino præstiterit, hæc religioni bellantium exigenda relinquere, quàm ad aliena arbitria vocare §. 4. ubi notentur *Auctorum testimonia* de his effectibus §. 5.
2. *consistunt in duobus*, videlicet
1. in *nocumento & læsione*, ita ut hostem hosti lædere liceat §. 3. *quoad*
1. *homines* §. 3. ubi notentur
1. *quam late pateat licentia* hæc & rigor
1. ex hoc jure interfici & offendi omnes, *qui intra fines hostium sunt* §. 6. quid si eo ante bellum venerint? §. 7.
2. *subditos hostium* ubique offendi, nisi lex alieni territorii obstet §. 8.
3. jus hoc offendendi etiam ad *infantes & fæminas* porrigi §. 9.
4. etiam ad *captos*, quovis tempore §. 10.
5. etiam ad eos, *qui se dedere volunt, nec recipiuntur* §. 11.
6. etiam ad *deditos sine conditione* §. 12.
7. porrigi & ad *obsides* §. 14.
2. *quid vetitum sit*, v. G.

E F

CEFG

2. *quid vetitum sit*

1. jure gentium vetitum *veneno quenquam interimere* §. 15.
2. aut *tela aut aquas aliquas veneno inficere* §. 16.
3. non & *aquas aliter corrumpere* §. 17.
4. *percussoribus uti* an contra jus gentium sit, distinguitur §. 18.
5. *stupra* an sint contra jus gentium §. 19.

2. *Res*, 3, 5. ubi notentur

1. res hominum *corrumpi* & *rapi* posse 3, 5, 1.
2. etiam *sacras*, quod quomodo intelligendum §. 2.
3. & *religiosas*, addita iterum cautione §. 3.
4. *doli* quatenus hic permissi §. 4.

2. In *acquisitione dominii* & *imperii* 3, 6. Tab. XVIII.

2. *Justitiam*, & *alias virtutes* in bello 3, 10. v. Tab. XIX.

Tabu-

Tabula XVIII.

De Acquisitione Dominii,

cujus mentio *Tab. praeced.*

Acquisitio Dominii vel *stabilis*, vel *instabilis*; Et quidem

1. *Stabilis*, eaque
   1. *particularis*
      1. *rerum bello captarum*, ubi notandum
         1. quale sit *jus naturae circa acquisitionem rerum bello captarum*, videlic. ut bello justo ea nobis acquirantur, quae
            1. aut *paria sunt ei, quod, cum nobis sit debitum, aliter consequi non possumus* §. 6, 1.
            2. aut etiam *quae nocenti damnum inferunt, intra aequum poenae modum* §. 1.
         2. *quale sit jus gentium* circa acquisitionem rerum bello solenni captarum
            1. ut non tantum *is*, *qui ex justa causa bellum gerit*, sed & *quivis* in bello solenni, & *sine fine modoque dominus sit eorum*, quae hosti eripit, eo sensu nimirum, ut à gentibus omnibus & ipse, & qui ab eo titulum habent, in possessione rerum talium tuendi sint, §. 2. (3,10,6.)
            2. *quando* ex jure gentium *capi* censeantur
               1. *res mobiles* §. 3.
               2. *agri* §. 4.

A B C D

D

3. *Res*, quæ

1. *non sunt hostium*, non acquiri bello 3, 6, 5. & 26.
2. *reperta in navibus hostium*, quomodo §. 6.
3. *quas hostes nostri aliis eripuerunt*, nostri juris fieri §. 7.

4. *cui res captæ acquirantur*

1. refellitur sententia statuens, *res captas ab hostibus omnino singulorum capientium fieri* §. 8.
2. naturaliter & *possessionem* & *dominium per alium acquiri* §. 9.
3. *distinguendum* hic esse inter
   1. *actus belli*
      1. *vere publicos* §. 10.
      2. *privatos*, qui fiunt occasione belli publici §. 10. per hos actus privatos res acquiritur primo & directe
   2. *res*
      1. *soli*, quæ non nisi publico actu h.e. inducto exercitu & impositis præsidiis capi solent, §. 11.
      2. *mobiles* v. E.

E

2. *Mobiles*, & *se moventes*, quæ capiuntur

1. aut *extra ministerium publicum* actu belli privato, & fiunt singulorum capientium 3,6,12. nisi *lex civilis* interposita auferat hoc jus §. 13.

2. aut *in ministerio & actu bellico publico*, ubi singuli reipublicæ personam sustinent, ejusque vice funguntur §. 14. In hoc actu notandum

1. *quod res captæ*
   1. *fiant populi* aut ejus, cujus est bellum §. 14.
   2. sint tamen *sub aliquo imperatorum arbitrio* §. 15. utpote qui
      1. aut ea *referunt ad ærarium* §. 16.
      2. aut *dividunt militi* & *quomodo* §. 17.
      3. aut *direptionem permittunt* §. 18.
      4. aut *aliis concedunt* §. 19.
      5. aut *factis partibus aliud atq; aliud statuunt* §. 20.
2. quod *peculatus circa prædam committi possit* §. 21.
3. quod *lege* aut *alio voluntatis actu* de jure hoc communi aliquid *immutari possit?* §. 22. & sic
   1. *sociis quædam concedi* §. 23.
   2. *sæpe & subditis* §. 24.

F

CF

4. dictorum *declaratio & vis*, ubi monstratur
   1. *judicium populi pacati* in addicenda re bello capta §. 25.
   2. *res quæ hostium non sunt* capientium non fieri, *jura tamen hostium in iis* acquiri §. 20. 3, 8, 4.
   3. *hostium res etiam extra bellantium territoria jure gentium* capientium fieri, *lege* tamen *populi* id prohiberi posse 3, 6, 26.
   4. jus hoc capta acquirendi *in bello non-solenni non obtinere* §. 27.

2. *Hominum*, ubi notanda sequentia
   1. omnes *captos* bello solenni jure gentium *servos fieri* 3, 7, 1.
   2. & *eorum posteros* §. 2.
   3. *in eos quidvis impune fieri* §. 3.
   4. *res captorum*, etiam *incorporales*, *dominum sequi* §. 4.
   5. *causa*, cur id constitutum §. 5.
   6. an ita captis licitum *fugere* §. 6.
   7. an & *domino resistere* §. 7.
   8. jus hoc *non apud omnes gentes* semper obtinuisse §. 8.
   9. *nec* minus *obtinere inter Christianos*, & quid ei sit surrogatum §. 9.

A B

2. *Universalis*, h.e. *imperii* (3,8.) hoc modo acquiruntur
 1. *imperium*
  1. *civile*, tum ut est in rege, tum ut est in populo, & ejus acquisitionis effecta 3, 8, 1.
  2. *berile* in populum, qui tum civitas esse definit §.2. Nota: interdum tamen *hæc imperia misceri* §. 3.
 2. *res populi*, etiam incorporales, sc. *jura*, *obligationes*, *actiones*, ubi tractatur de chirographo Thessalorum §. 4. 3, 6, 26.
2. *Instabilis ob jus postliminii* (3, 9.) quod est *antiquum* & *hodiernum*, & quidem
 1. *Antiquum*, cujus observentur
  1. *derivatio & vocis origo* 3, 9, 1.
  2. *Definitio*. Postliminium est jus, quod nascitur ex reditu in limen, h. e. in fines publicos, & quomodo §. 2.
  3. *Species*, postliminium est, quando
   1. aut *nos revertimur*
   2. aut *aliquid recipimus* §. 3.
  4. *quæstiones* & *observationes*. v. H.

G

GH

4. *Quaestiones & observationes*

1. *jus postliminii* esse & *in pace* & *in bello* 3,9,4. & quid si nihil in pace dictum sit? §. 4.
2. *liber homo bello manente* quando postliminio redeat? §. 5.
3. *quae jura recipiat, quae non recipiat?* §. 6.
4. *jura & in ipsum restitui.* §. 7.
5. cur qui se dedunt, jus postliminii non habeant? §. 8.
6. *populus* quando jus postliminii habeat? §. 9.
7. *quae* in his, qui postliminio redeunt, sint *juris civilis.* §. 10.
8. *servi* postliminio quomodo recipiantur. §. 11. etiam *transfugae*. Quomodo, qui *redemti* sunt §. 11.
9. an subditi postliminio recipiantur §. 12.
10. *agros* postliminio recipi §. 13.
11. circa *res mobiles* quod discrimen olim observatum §. 14.
12. quid circa res mobiles *hodie juris* §. 15.
13. quae res *recipiantur* ita, *ut postliminii non egeant* §. 16.
14. *mutationes ex lege civili*, quoad *subditos* suos §. 17.
15. postliminium quomodo observatum inter eos, *qui hostes non erant* §. 18.

5. *Hodiernum* §. 19.

Tabu-

Tabula XIX.

De effectibus belli solennis, quoad justitiam, 3, 10. &c.
cujus mentio Tab. XVII.

Belli solennis effecta quoad justitiam & alias virtutes in bello, (3, 10, 1 & 2.)

1. *Injusto.* Ubi notentur
   1. quod *interna injustitia injustum* sit, *quod ex bello injusto fit*, 3, 10. 3.
   2. *qui hinc & quatenus ad restitutionem obligentur* §.4.
   3. an *res capta bello injusto* reddendæ sint ab eo, *qui cepit*. §. 5.
   4. an & ab eo, *qui detinet* §. 6.
2. *Justo* (3, 11.) circa *actiones publicas* & *privatas*, & quidem
   1. *Publicas*, quæ fiunt circa *hostes* & medios, & quidem
      1. *hostes*, ubi spectatur *nocumentum* temperandum, & *acquisitio*, & quidem
         1. *nocumentum* temperandum circa jus *interficiendi homines*, & *vastandi res*,

A B C D 1. *interficiendi homines*, ubi notentur, v. E.

E

1. *interficiendi homines*, ubi notentur
   1. in *bello justo* actus quosdã *interna justitia carere* 3, 11, 1.
   2. *quinam interfici possint* secundũ justitiam internã §. 2.
   3. quod ob *infortunium* nemo recte possit interfici, ut qui coacti partes sequantur §. 3.
   4. nec *ob culpam mediam* inter infortunium & dolum §. 4.
   5. quod distinguendi *auctores belli* ab his, *qui sequuntur* §. 5.
   6. in ipsis auctoribus disting. *caussas probabiles* ab *improbabilibus* §. 6.
   7. *parcendum*
      1. *mortem etiam meritis hostibus* §. 7, 17.
      2. *innocentibus* §. 8.
      3. *pueris* semper & *fœminis*, nisi quid gravius admiserint, §. 9.
      4. *personis ecclesiasticis & literatis* §. 10.
      5. *agricolis* §. 11.
      6. *mercatoribus* §. 12.
      7. *captis* §. 13.
      8. iis, *qui se dedere volunt*.
         1. *æquis conditionibus* §. 14.
         2. *sine conditione* §. 15.
      9. *delinquentibus*, ob multitudinem §. 17.
      10. *obsidibus* §. 18.
      11. *sanguinis effusio non necessaria*, sed ad ostentationem virium proruens vitanda §. 19.

DE

DE

2. *Vastandi res & perdendi* 3, 12. ubi notentur

1. quod vastatio sit *justa* & sine injuria, si antecedat trium causarum una,
   1. aut *necessitas* 3, 12, 1.
   2. aut *debitum aliquod* præstandum
   3. aut *meritum puniendum* §. 1.
2. quod *à vastatione abstinendum*.
   1. *si res nobis fructuosa* sit, & extra hostis potestatem §. 2.
   2. si *magna sit spes celeris victoriæ* §. 3.
   3. si *hostis habeat aliunde quo se sustentet* §. 4.
   4. si *res ipsa ad bellum faciendum sit nullius usus* §. 5.
   5. *in illis quæ sacra sunt, aut sacris accedunt* §. 6.
   6. item *religiosis* §. 7.
3. *moderationis utilitas* triplex §. 8.
   1. quod hosti *desperationem* eripit.
   2. quod *fiduciam victoriæ* ostentat.
   3. quod *frangit & conciliat animos*.

2. ACQUISITIO & POSSESSIO *moderanda & restituenda*. D.

D F G

Acquisitio & Possessio

1. *moderanda*
   1. *particulariter* circa
      1. *res captas*, quæ possunt retineri
         1. *in modum debiti* 3, 13, 1.
            1. *primarii* seu principalis.
            2. *subnati* seu accessorii §. 3.
         2. *non in pœnam alieni criminis* §. 2.
         3. caritatis humanitatisque monitum §. 4.
      2. *homines captos*, 3, 14. ubi notentur
         1. *quousq; capere homines liceat justitia interna* 3, 14, 1.
         2. quid *interna justitia dominio in servum liceat* §. 2.
         3. *non licere occidere innocentem* §. 3.
         4. *non punire inclementer* §. 4.
         5. *non operas nimium graves imponere* §. 5.
         6. *peculium quomodo domini, quomodo servi* §, 6.
         7. *an servis fugere liceat* §. 7.
         8. *an è servis nati* domino teneantur, quatenus §. 8.
         9. quid faciendum, *ubi captorum servitus in usu non est* §. 9.
   2. *Universaliter circa imperium*, v. G.
2. *Restituenda* v. F.

F G

CFG

2. *Universaliter circa imperium* 3, 15. ubi notetur
  1. quatenus justitia interna permittat *imperium acquiri* 3, 15, 1.
  2. laudabile esse, *hoc jure in victos abstinere* §. 2.
  3. sive *eos miscendo victoribus* §. 3.
  4. sive *relinquendo imperium his qui habuerant* §. 4.
  5. interdum *impositis præsidiis* §. 5.
  6. aut *tributis* etiam, & *similibus oneribus* §. 6.
  7. *utilitas ab hac moderatione* indicatur §. 7.
  8. *exempla.* & *de mutata reip. forma* apud victos §. 8.
  9. *imperium* si assumendum sit, recte *partem ejus victis relinqui* §. 9.
  10. aut certe *libertatem aliquam* §. 10.
  11. præcipue *in religione* §. 11.
  12. saltem *victos clementer haberi* oportere, & cur §. 12.

2. *Restituenda*, utpote quæ jure gentium postliminio carent, ubi notentur
  1. internam justitiam exigere, ut *reddantur*, quæ *hostis noster alii injusto bello eripuit* 3, 16, 1.
  2. *exempla* §. 2.
  3. an *quid deduci possit* §. 3.
  4. etiam populos subditos aut subditorum partes reddendas his, quorum fuerant, *si ab hoste injuste occupati sint* §. 4.
  5. *quo tempore obligatio reddendi extinguatur* §. 5.
  6. quid faciendum *in dubia causa* §. 6.

2. *Medios* v. C.

B C

2. *Medios* 3, 17. ubi notentur
1. *à pacatis nihil sumendum*, nisi ex summa necessitate cum restitutione pretii 3, 17, 1.
2. *exempla abstinentiæ & præcepta* §. 2.
3. *quid sit officium pacatorum circa bellantes* §. 3.

2. *Privatas*, 3, 18. ubi notentur
1. *an privatim hosti nocere liceat*, expositum cum distinctione juris civilis, gentium & naturalis 3, 18, 1.
2. his, *qui suo sumtu militant, aut naves instruunt*, quid per internam justitiam liceat, *respectu hostiũ* §. 2.
3. quid *respectu suæ civitatis* §. 3.
4. quid *Christianæ dilectionis regula* ab ipsis exigat §. 4.
5. quando *bellum privatum cum publico* misceatur §. 5.
6. *ad quid teneatur, qui sine mandato hostibus nocuit*, cum distinctione explicatur §. 6.

Tabula

Tabula XX.

De eo, quod licet in bello ex antecedente promisso.
cujus supra mentio in Tab. XVI.

Quantum in bello liceat ex antecedente promisso, & ex fide hostium inter se,

Consideratur *generaliter* & *specialiter*, & quidem

1. *Generaliter*, ubi agitur de fide servanda quibusvis
   1. *hostibus* 3, 19, 1.
   2. *etiam prædonibus & tyrannis* §. 2. ubi notetur
      1. licet tales pœnam potius mereantur, ostenditur id hic non considerari, *ubi tanquam cum tali actum est* §. 3.
      2. nec obstare quod promissio metu extorta sit, *si ei, qui promisit, metus non sit illatus* §. 4.
      3. aut *si jusjurandum accesserit*, quamquam id adversus prædonem impune, quod homines attinet, violatur §. 5.
   3. *subditis, desertoribus & rebellibus*, & quomodo §. 6. ubi notetur
      1. specialis difficultas *circa promissa subditis facta*, ob supereminens dominium §. 7.
      2. ostenditur *talia promissa firmari civitatis jurejurando* §. 8.
      3. aut *si tertius se interponat, cui fiat promissio* §. 9.
      4. *mutatio status publici* quomodo fiat §. 10.
      5. *metus exceptionem* ad bellum solenne juris gentium non pertinere §. 11.
      6. quod intelligendum de metu tali, quem jus gentium agnoscat, nec pro reprobato habeat §. 12.
   4. *perfidis alias* v. B.

A B

4. *Perfidis alias*
1. *quando* 3, 19, 13.
2. *quantum*, ſcilicet
1. ſi *conditio deficiat*, quod locum habet, ſi alter parti pactorum non ſtet §. 14.
2. ſi *juſta compenſatio opponatur* §. 15. quamvis
1. *ex alio contractu* §. 16.
2. *aut damno dato* §. 17.
3. *imo & ex pœna.* §. 18.

2. *Specialiter inter hoſtes.* 3, 20. Inter hoſtes, quæ conveniunt, conſtant *fide*
1. aut *expreſſa*, quæ eſt
1. aut *publica*, *poteſtatum*
1. *ſummarum*, quæ
1. *aut bello finem imponit* 3, 20, 1. v. Tab. XXI.
2. *aut eo manente vim habet in belli commerciis* 3, 21. v. Tab. XXII.
2. *inferiorum* 3, 22. v. Tab. XXIII.
2. aut *privata* in bello, 3, 23. v. Tab. XXIV.
2. aut *tacita* 3, 24. v. Tab. XXV.

Tabula

Tabula XXI.

De Fide expressa summarum potestatum, quæ bello finem imponit 3, 20. cujus mentio Tab. XX.

Fides expressa summarum Potestatum, quæ bello finem imponit, spectat vel *principalia*, vel Accessiones pactorum & quidem

I. *Principalia*, utpote quæ bellum finiunt, sive *actu suo*, sive *ex consensu relato ad casum*,

1. *actu suo*, ut *pactiones*, ubi considerentur
   1. *quorum sit pactiones inire, quæ bellũ finiunt*, videlic.
      1. pacem facere *in regio statu esse regis* 3,20,2. Quid si rex sit *infans, furiosus, captivus, exul?* §. 3.
      2. in procerum aut populi statu jus pacis faciendæ *esse penes plures* §. 4.
   2. *res pactioni subjecta*, ubi notentur
      1. quomodo *imperium, pars imperii, aut regni bona pacis* causa valide *alienentur* §. 5.
      2. quatenus *ex pace per regem facta populus aut successores teneantur* §. 6.
      3. *res subditorum pace concedi posse ob utilitatem publicam*, sed cũ onere damni resarciendi §. 7.
      4. *quid de rebus jam bello amissis?* §. 8.
      5. non distingui hic inter *quæsita jure gentium & jure civili* §. 9.
      6. utilitatem publicam apud externos pro probata haberi §. 10.

A B C

C.

3. *Interpretationes conventionum, pactionũ* & *pacis*, videl.

1. *regula generalis* in pace interpretanda 3, 20, 8.
2. in dubio credi conventum, *ut res maneant quo sunt loco* §. 11. quod *quomodo accipiendum* §. 12.
3. Quid si convenerit, ut *restituantur omnia in eum statum, quo ante bellum fuerunt* §. 13.
4. Tunc, qui *sui juris cum essent, sponte se alteri subjecerunt, non reddi* §. 14.
5. *Damna bello data, remissa in dubio censeri* §. 15.
6. non etiam *quæ ante bellum privatis debebantur* §. 16.
7. *pœnas etiam ante bellum publice debitas* in dubio remissas censeri §. 17.
8. Quid de jure privatorum ad pœnas? §. 18.
9. jus *quod ante bellum publice obtendebatur, sed controversum erat*, facile censeri remissum. §. 19.
10. *capta post pacem*, reddenda §. 20.
11. *de pacto reddendarum rerum, quæ bello capta sunt, regulæ quædam* §. 21.
12. *de fructibus* §. 22.
13. *de nominibus regionum* §. 23.
14. *de relatione ad pactum antecedens, & de eo, per quem stetit* §. 24.
15. *de mora* §. 25.
16. in dubio interpretationem faciendam *contra eum, qui leges dedit* §. 26.

4. *quando pax rupta censeatur.* v. C.

BC

4. *Quando pax rupta censeatur*. Pax rumpitur tribus modis (3, 20, 27.)

1. aut *faciendo contra id, quod omni paci inest* §. 28. Quo spectant
   1. *quid si socii vim intulerint*? §. 29.
   2. *quid si subditi*? & quomodo eorum factum censeri debeat §. 30.
   3. *quid si subditi aliis militent*? §. 31.
   4. *quid si subditis nocitum sit*? ubi distinctio adhibetur §. 32.
   5. *quid si sociis*? ubi item distinguitur §. 33.
2. *aut faciendo contra id, quod in pace dictum est aperte* §. 34. quo spectant
   1. an facienda *distinctio capitum pacis*? §. 35.
   2. quid *si pœna sit adjecta*? §. 36.
   3. quid *si necessitas obstiterit*? §. 37.
   4. pacem manere, *si id velit is, qui læsus est* §. 38.
3. aut *faciendo contra id, quod ex pacis cujusq; natura intelligi debet* §. 39. quo spectant
   1. *amicitiæ nomine* quid veniat §. 40.
   2. *subditos & exules recipere*, an contra amicitiam sit? §. 41.

2. sive *ex consensu relato ad casum*

1. *mere fortuitum*, quando res subjicitur sortis aleæ §. 42.
2. *temperatum*, v. D.

D

2. *temperatum*

1. aut *viribus animi & corporis* in certamine condicto, ubi quærendum
   1. *quomodo bellum finiatur condicto certamine*, & *an id licitum?* 3, 20, 43.
   2. *an pactum regum populos hic obliget?* §. 44.
   3. *quis victor censendus?* §. 45.
2. aut *arbitrio*, ita ut vel
   1. *alius aliquis*, *qui bello illi non est implicitus* controversiam dirimat; quorum *genera duo*
      1. aut *arbitrio boni viri*, seu *ut conciliator pacis & mediator tantum* §. 46.
      2. aut *ut arbiter sine provocatione*, utpote cujus dicto & pronunciato sive æquo sive iniquo sit standum. Et hoc arbitrium est sine provocatione. Cum ergo ex compromisso ad talem arbitrum itur, utrinque, & circa compromittentes & circa arbitros, in quos compromissum est, notanda sunt.
         1. *Compromittentium obligatio*, ut scilicet stent & pareant pronunciato §. 46.
         2. *arbitri officium*, ubi spectatur
            1. *an electus sit in vicem judicis*, *an cum laxiori quadam potestate*, quam arbitro quasi propriam vult Seneca §. 47.
            2. arbitros *in dubio intelligi adstrictos juri* §. 47.
            3. arbitros *de negotio principali non de possessione pronuntiare debere* §. 48.
   2. *Victoris arbitrio se permittat*, & dicitur *deditio*
      1. *pura* ubi notetur 1. *vis deditionis pura* (§. 49.)
         2. *officium victoris circa eos*, *qui sic se dedunt* §. 50.
      2. *conditionata* §. 51.

A2. *Accessi-*

A

2. *Accessiones pactionum*, ut sunt

1. *Obsides*, ubi notentur

- 1. *obsides dari qui possint & debeant* 3, 20, 52.
- 2. *quod jus in obsides?* §. 53.
- 3. *an fugere obsidi liceat?* §. 54.
- 4. *an obses in aliam caussam recte retineatur?* §. 55.
- 5. *mortuo eo, pro quo quis obses venit, obsidem liberari* §. 56.
- 6. *Rege qui obsidem dedit mortuo, an obses teneatur* §. 57.
- 7. *obsides interdum principaliter obligari* §. 58.
- 8. *obsides, alterum ex alterius facto non teneri* §. 59.

2. *Pignora*

- 1. *pignorum obligatio* qualis? §. 60.
- 2. *Jus luendi quando amittatur?* §. 61.

Tabula

Tabula XXII.

De Fide expressa & publica summarum potestatum, quæ manente bello vim habet in commerciis belli. 3, 21.
cujus mentio in Tab. XX.

Fides expressa & publica summarum Potestatum, quæ manente bello vim habet in belli commerciis,

Spectatur in tribus, videlicet in *induciis*, in *jure commeandi*, in *redemtione captivorum*; & quidem

I. *Induciis*, ubi observentur

1. *induciæ quid sint?* & an id tempus veniat pacis an belli nomine, 3, 21, 1.
2. *vocis origo* §. 2.
3. *nova indictione post inducias non opus* §. 3.
4. *quomodo computanda sint tempora induciis præfinita?* §. 4.
5. *quando obligare incipiant?* §. 5.
6. *quid per inducias liceat?* §. 6.
7. *an retrocedere, & reficere mœnia, & similia?* §. 7.
8. *de locis occupandis distinctio* §. 8.
9. an redire possit, *qui vi majore retentus est circa exitum induciarum* §. 9.
10. *de specialibus induciarum pactionibus*, & quæ inde quæri solent §. 10.
11. *Induciarum pactionibus ab altera parte ruptis*, alteram bellum movere posse §. 11.
12. *Quid si pœna addita fuerit?* §. 12.
13. *privatorum facta quando inducias rumpant?* §. 13.

II. *Jure commeandi*, v. A.

A

A

II. *Jure commeandi extra inducias*, ubi ſpectentur

1. *in jure commeandi extra inducias qualis ſumenda ſit interpretatio?* 3, 21, 14.
2. *qui militum nomine veniant* §. 15.
3. *Ire, venire, abire*, quomodo hic accipienda §. 16.
4. *de extenſione ad perſonas* §. 17.
5. *ad bona* §. 18.
6. *comitis* & *gentis* nomine qui veniant §. 19.
7. *an conceſſio juris commeandi morte concedentis extinguatur* §. 20.
8. Quid ſi data ſit, *donec qui dedit voluerit*? §. 21.
9. an ſecuritas & *extra territorium* debeatur? §. 22.

III. *Redemtione captivorum*, ubi ſpectentur

1. *Favor redemtionis captivorum* §. 23.
2. *an lege interdici redemtio poſſit*, diſtinctione explicatur §. 24.
3. *jus in captivum cedi poſſe* §. 25.
4. *poſſe ab uno pretium pluribus deberi* §. 26.
5. *conventio an reſcindi poſſit ob divitias captivi ignoratas* §. 27.
6. *quæ bona capti captorem ſequantur* §. 28.
7. *an redire debeat, qui dimiſſus eſt, ut alterum liberet, eo mortuo?* §. 29.
8. *an hæres pretium debeat*, diſtinctione explicatur §. 30.

Tabula

Tabula XXIII.

De Fide publica inferiorum Potestatum. 3, 22. cujus mentio Tab. XX.

Fides expressa & publica inferiorum & minorum Potestatum consideratur

1. *Generaliter*, respectu *eorum, qui minoribus potestatibus sunt*
   1. *superiores*, ubi explicantur
      1. *Ducum genera* 3, 22. 1.
      2. quatenus *eorum pactio obliget summam potestatem* §. 2.
      3. aut quatenus eorum pactio *occasionem obligationi* det, sive per *consensum*, sive per *rem ipsam* §. 3.
      4. quid *si factum quid contra mandatum?* ubi distinctiones adhibentur §. 4.
      5. *an tali casu pars altera obligetur?* §. 5.
   2. *inferiores*, ubi explicatur, *quid belli duces aut magistratus possint circa inferiores se, & pro iisdem* §. 6.
2. *Specialiter*, per subjectas species, ubi exponitur
   1. *Pacem facere, ducum non esse* §. 7.
   2. *an inducias dare?* distinguitur §. 8.
   3. *quæ securitas personarum, quæ res ab ipsis concedi possint?* §. 9.
   4. *stricte interpretanda talia pacta*, & quare §. 10.
   5. quomodo interpretanda *deditio à Duce accepta* §. 11.
   6. quomodo cautio, *si regi aut populo visũ fuerit* §. 12.
   7. quomodo *promissum de oppido tradendo* §. 13.

Tabula

Tabula XXIV.

De Fide expressa & privata in bello, 3, 23. cujus mentio Tab. XX.

Fides expressa & privata in bello explicatur sequentibus:

1. Refellitur sententia statuens, *privatos fide hosti datâ non obstringi* 3, 23, 1.
2. ostenditur *obstringi eos etiam piratæ & latroni*, *& quatenus* §. 2.
3. *Minor hic non excipitur* §. 3.
4. *Error an liberet* §. 4.
5. solvitur *objectio*, sumta ex publicâ utilitate §. 5.
6. aptantur ante dicta ad *fidem datam reditus in carcerem* §. 6.
7. *in certum locum non redeundi*: *non militandi* §. 7.
8. *non fugiendi* §. 8.
9. *captum alii se dare non posse* §. 9.
10. an *privati cogendi sint à suis potestatibus implere*, *quæ promiserant* §. 10.
11. *qualis interpretatio* in his pactis adhibenda §. 11.
12. quomodo sumendæ voces *vitæ*, *vestium*, *adventus*, *auxilii* §. 12.
13. *rediisse ad hostem* quis dicendus §. 13.
14. *justa auxilia quæ*, in deditione sub conditione facta §. 14.
15. *quæ ad executionem pertinent*, conditionem non facere §. 15.
16. *de talium pactorum obsidibus* §. 16.

Tabula XXV.

De Fide Tacita. 3, 24.

cujus mentio Tab. XX.

Fides Tacita explicatur ſequentibus:

1. *Tacite quomodo fides interponatur* 3, 24, 1.
2. exemplum in eo, *qui in tutelam recipi à populo aut rege expetit* §. 2.
3. qui *colloquium poſtulat aut admittit* §. 3.
4. huic tamen dum collocutori non noceat, integrum eſſe, res ſuas promovere §. 4.
5. de *mutis ſignis* ex conſuetudine aliquid ſignificantibus. §. 5.
6. de *tacita approbatione ſponſionis* §. 6.
7. *pœna quando tacite remiſſa* §. 7.

Tabula XXVI.

nclusio. 3, 25. cum qua confer *monita, de non temere suscipiendo bello.* II, 14.

nclusio dehortatoria à bello. ubi

1. *Monita*
   1. ad *fidem* 3, 25, 1.
   2. ad *pacem*
      1. in bello *pax semper spectanda* §. 2. *amplectenda etiam* cum damno
         1. *Regibus & Principibus Christianis* ob conscientiæ rationem §. 3.
         2. *omnibus*, ob utilitatis rationem
            1. *victis* §. 4.
            2. *victoribus* §. 5.
            3. *dubiis & incertis* §. 6.
      2. post *bellum, facta,* summa religione & fide servanda §. 7.
         1. propter *fidei sactimoniam.*
         2. propter *conscientiæ rationem.*
         3. propter *famæ pretium.*
2. *Votum* pro pacis & concordiæ studio Principibus Christianis à DEO dando §. 8.

Conſpectus Operis
ad
TABELLAS RELATUS.

Libro Primo
continentur.

Libro Secundo.

IV. *De*

Libro Tertio.

III. De

Benivo-

BENIVOLO LECTORI
S. P.



Abularum antiqua celebritas, nec simplex utilitas fuit. Inprimis autem id commune habent, varia de cetero Tabellas amantium & conficientium consilia, ut εὐσύνοπτον, id est, facilem perspectu cognituq; faciant rem, quæ hoc genere disciplinæ exhibetur. Γεωγραφικοὶ πίνακες vetustissimi moris sunt, tum ex ære, tum in membranis. Nec ignorantur χρονικῶν κανόνων συντάξεις, à quorum initiis ad scita & exquisita juniorum inventa processum est. Quod & in Astronomicis factum: tum in Arithmeticis. Paulo alterius generis opera est, quæ συμφωνίαν & παραλληλισμὸν spectat, sicut τὸ διατέσσαρον seu τὸ μονοτέσσαρον in Canonibus Evangelistarum, varie concinnatis: cujusmodi specimina in Mss. Græcis

Græcis Latinisque codicibus plura occurrunt. Aliud item genus est Tabularum, Lemmata operis exhibentium. Quo Græcorum τίτλοι & κεφάλαια pertinent. Medium ævum *Capitularia* appellavit. Sed enim nostri temporis mos ipsis oculis inhæret, quo omne doctrinæ genus Tabulis complectimur. Nec modo id quidem eodem, nec necessitate pari aut utilitate. Reperiuntur inter eruditos, qui Tabulis nunquam usi sunt, neque ut valde de iis sentiant magnifice, induci possunt. Et sane res partite clareque traditas, Tabulis insuper contrahere, supervacui laboris videri queat. Ponere liceat exemplum. Lipsii Politica tam sunt facili perspicuoque contextu tradita, & ad memoriam tam pulcro obvioque ordine succedunt, ut vix desiderare Tabellæ opem possis. At

vero,

vero, in rebus dispersis contrahendis, & ex amplitudine congregandis, provida haberi & egregia debet doctorum solicitudo, si memoriæ adminicula discipulis hinc potissimum concilient. Præsertim, si sit erudita concinnitas & παιδεία in Tabulis. Ita in Jure Civili summa ratio est, quæ suadet res amplissime diffusas, sub uno conspectu collocare, & distantibus ex locis in gyrum disciplinæ cogere: quo nomine, ut multis aliis doctrinæ præsidiis, *Taborica methodus* plurimum meritæ semper laudis tulit. Grotii opus, quanquam pulcre dispositum, quia tale est, ut non per particulas decerpi, sed totum pernosci debeat, si quis id velit cum successu tractare; quin Tabulis quoque illis instrui utiliter potuerit, vix est dubitabile. Quoniam autem immensa rerum multitudo ambitu arctiore con-

concluditur, unoque sæpe capitis alicujus τμηματω pluscula partitim continentur; valde mihi placuit *institutum Thomasianum*, quod ἀναλύσει exquisitiore, novi generis commentarium, ut sic dicam, in Tabellis operose concinnatis exhibet. Quas ne invidere diutius publicæ luci velit Clarissimus Auctor, illustrissimæ hujus Philosophiæ utilitas imperat nobis, ut, quanto possumus opere, rogemus. Id nobiscum facies, Lector Benevole, & valebis.




ARGENTORATI,



Sumptibus
JOH. REINHOLDI DULSSECKERI.

M DCC IV.



I. N. J. C.

PRÆFATIO.

De operis Grotiani occasione, titulo, argumento, præsidiis, artibus, nævis, partitione, laudatoribus & obtrectatoribus.



N vestibulo hujus scripturæ subsistendum paulisper & circumspiciendum est, quomodo rite ad penetralia Grotiani operis contendere fas sit. Ipse nobis Grotius ejus consilii auctor est, in PROLEGOMENIS suis: ad quæ intelligenda potissimum pertinebunt, quæ præstruere instituimus.

Hugo Grotius in patria male habitus, apud Christianissimum Galliarum Regem LUDOVICUM XIII. solatium exilii & præsidium reperit. Florebat tum *Nicolaus Claudius Fabricius Peirescius*, vir ad ornandas & adiuvandas literas omnis generis factus à natura, à doctrina eruditus, à fortuna instructus: qui, pro incomparabili illo studio, quo fata liberalium disciplinarum, provisu, dispositque in usum sæculorum partiebatur, novi hospitis ingenio ad rem magnam & illustrem utendum ratus, *Jus naturæ & gentium* cœpit prone-

ponere: ad quod accurate tractandum, opus esset viro totius antiquitatis peritissimo, civilique prudentia, & rerum quodam usu non vulgariter prædito. Eum esse Grotium, dicebat: cui non hortamenta modo, sed auxilia & subsidia ad rem aggrediendam perficiendamque abunde subministrauit. Illi ergo Peirescio, ut alia plurima & recondita, ita Grotianum hoc opus debemus, sicut ipse *Grotius* fatetur; & *Petrus Gassendus* in vita Peirescii amplius deprædicat.

Epist. ad Gallos 78. Vit. Peiresci. lib. 4.

De Jure naturæ & gentium, dixi operis argumentum propositum esse. Neque enim aliud in consilium aut sermonem venit hac de re deliberantium. Constat hoc ex illis, qui sciverunt: constat ex ipso Grotio, cuius hæc ad Peirescium concise loquentis verba sunt: *Interim non otior, sed in illo de Jure gentium opere pergo.* Neque aliud *Prolegomena* sub initium ostendunt. Cur autem maluerit postea inscribere opus suum *de Jure Belli & Pacis*, non immerito dubites. Unam hujus rei caussam manu tenere, alteram conjectura assequi videamur. Quin enim excusatum & laudatum putaverit, cum antiquis loqui, & præsertim cum *Cicerone* (qui *in oratione pro Balbo*, verbis quæ prolegomena auspicantur, non aliud hoc loquendi genere videtur significasse) dubio carere arbitror. Quam sit porro res operosa, & in varias cogitationes patens; hoc argumentum, methodi quadam comprehensione in unum corpus ordinare, eruditis est notum

Epist. 78.

cap. 6.

Gro-

Grotius cum videret, pleraque eorum, quæ in pace etiam quæri solent de jure communi Gentium, ad bellum suscipiendum accommodari posse, expeditius fore negotium existimavit, si ad jus belli tota quæstio & partitio argumenti referretur. Cui ita connexum est jus Pacis, sicut apud *Tacitum, de bello & pace*, & apud juniores Politicos, *jus belli & pacis*, cum jura summi imperii enumerantur, nominari solet. neque enim ultra de jure pacis in Grotiano opere tractatur. At enim, inquis, ita disceditur à laudata ante sententia *Ciceronis*, qui *omne belli jus ac pacis*, ut ad belli, ita ad pacis tempora & negotia cuncta amplius porrigit, eo sensu, quo Camillus apud *Livium* dixit: *Sunt & belli, sicut pacis jura*. Verum dicis, si partitionem operis, ut in artem & corpus ivit, spectemus: quamquam materia latius patet, & ad implendam ampliorem istam significationem tractando pæne producitur. nisi quod ultro fatetur, *se naturalē hanc & perpetuam jurisprudentiam non exhausisse*; *partesque aliis tractandas demonstrat & commendat*. Qui curiosi sunt in pangendis operibus, fortasse & illud desiderarent, quod Ciceronianum illud loquendi genus figura non caret: à qua interim inscriptiones operum sedulo removentur. Igitur *Janus Seldenus* vir doctissimus, operi suo, quod erudita & modesta æmulatione Grotiani operis scripsit, civiliorem dedit titulum, *De Jure naturæ & gentium*. Intellexit Grotius artem, & haud dubie ex-

13. A. 49.

lib. 2. c. 75.

In proleg.

probrari sibi insolentiam tituli existimans, lepida urbanitate ultus est virum: quando *Seldeni mare clausum* (sive de imperio & dominio maris) parum latine inscriptum, noluit barbaro vocabulo, cum ipso Auctore, appellare, sed meliore & erudito viro digna voce, *Thalassocraticum*, laudavit.

Annotat. ad l.B. 2. 2. 2. Et in OECONOMIA quidem operis, quæ facile in *tabella* exponi potest, & ab ipso Grotio exposita est, merito libertas æqua scribentibus obtinere debet. Neque tamen rem incommodam fecit *Seldenus*, qui Hebræorum *Juris Noachidarum capita* enumerantium consuetudinem secutus est. Ea enim propius ad *Decalogum* accedit. Ad quem revera materia hæc commodissime referri poterat, & fortasse debebat. Jus naturæ enim egregie est in Decalogo expressum: atque ita quidem accurate perfecteque, ut prorsus existimem, ethnicos hanc methodum unice amplexuros fuisse, si ab ipso DEO promulgatam tabulisque comprehensam Legem naturæ credidissent. Multum certe minueretur de labore requirendi & exprimendi capita juris naturalis, eademque à Jure gentium distinguendi, si præmonstratam ab ipso DEO disciplinam, citra ambages sequeremur, quod faciendum esse demonstravit instituta enumeratione *Philippus Melanchthon in Philosophia morali*.

Maxima enim difficultas in ipso limine hujus operis occurrit in DEFINIENDO JURE NATURÆ GENTIUMQUE; ET CAPITIBUS

SIN-

SINGULIS EXPRIMENDIS. Intricavit eam disputationem *Jureconsulti* auctoritas, cum *jus naturæ omnibus animantibus commune* fecit, à qua recedere multis religio fuit. Equidem magna antiquorum illorum Jureconsultorum, ob immensam eruditionem, apud omnes esse debet veneratio: neque sine necessaria caussa ab eorum sententiis discedendum existimaverim. Non displicuit itaque mihi eorum conatus, qui commodam ejus sententiæ explicationem quærendam sibi putauerunt, nisi quod importunius id atque indoctius à quibusdam factum esse videtur. Meliorem viam institerunt *Petrus Gassendus*, & uberius *Hugo de Roy*, *de eo quod justum est*. Sed nondum præcipuis difficultatibus remedium inde paratur. Bene igitur *Grotius*, puto, à definitione juris naturalis Ulpianea sibi recedendum existimavit: sicut & *Seldenus*, cum aliis. Licet enim ille modus, inquirendi naturalem juris rationem, per comparationem quandam & imaginem repudiandus non sit (& tractavit hunc locum non perfunctorie *Porphyrius*) ad definiendum tamen minime est omnium accommodatus. Illud quoque inter præclare *Grotio* tradita referendum est, quod juris naturalis rationem *socialitate* æstimavit, indeque *jus sociale* dixit, in quo ab iis discessit, qui *jus naturæ*, in homine extra societatem posito, sive in se spectato considerantes, idem jus gentium appellarunt, cùm naturam rationalem in societate civili & republica constitu-

In Phil. Epicur. par. moral.

de J. B. 1. 1. 11.

1. 4. & 5.

lib. 1. περὶ ἀποχῆς.

tam spectarunt. In *distinguendo quidem jure naturæ & jure gentium*, omnium aliorum diligentiam *Grotius* vicit. Sed nondum ad summam rei in hoc argumento profectum est, nisi accurate, atque ita, ne quid dubitationis superesit, *jure naturæ universim* fuerint descripta, atq; *à gentium jure* discriminata. Sæpe enim, apud antiquos præsertim, utroque vocabulo

3. offic. 5. res eadem signatur. *Ciceronis* locus est, cui multa occurrunt similia: *Neque vero hoc solum naturâ, id est, jure gentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis civitatibus respublica continetur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri.* Jus naturæ ita describit; cui, quantum ad singularia, jus gentium (aliter & proprie sic dictum) ut & jus civile persæpe suffragantur: & quemadmodum illud omnis humanæ societatis vinculum sit, præclare ostendit.

Facienda hic est mentio *Feldeni*, qui totiens sibi gratulatur, quasi prætermissam *Grotio* rem primariam reperisset; nempe *non Gentium modo plurium, sed humani generis totius societatem, ejusque jus commune ac universale.* Atqui hoc Grotius sæpissime inculcat, non tantum ubi sociale demonstrat jus naturæ, sed ex occasione passim. Neque enim Grotio

3. offic. 6. alia mens, quàm *Ciceroni*, cum dicit: *Si etiam hoc natura præscribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam caussam, quod is homo sit, consultum velit: necesse est, secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem. quod si*

ita

ita est, una continemur omnes & eadem lege natura. Et subinde: *Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant; hi dirimunt communem humani generis societatem.*

Cœterum in ratione juris naturalis assignanda per *dictamen recta rationis*, non satis caute locutus est *Grotius*, cum dicit, *illa locum habitura, etiamsi daretur, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab illo negotia humana.* Certum enim est juris rationem non dari, nisi per imperium & obligationem: adeoq; juris naturalis rationem, sine imperio & indicatione supremi Numinis, in dictamine rectæ rationis, & per illud, nullam esse. Sicut graviter & erudite ostendit *Seldenus*. In proleg. De I. N. & G. lib. 1. cap. 7. & 8.

In capitibus juris naturalis enumerandis, satis docte quidem *Grotius*, non tamen plene versatus est. *Gassendus* leges naturæ omnium hominum maxime communes ita assignat: 1. *bonum, commodum, gratum prosequi; malum, incommodum, ingratum effugere.* 2. *sibi bene, quàm alteri, malle, sive, plus se amare, quàm ceteros.* 3. *vitam conservare; membrorum, sensuum, facultatum omnium integritatem ac liberum usum velle.* 4. *sociabilem esse, sive societatem expetere.* Sed hæc non tam sunt jura naturæ, quam τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, sive prima naturæ. Jus enim omne ad actionem pertinet, quæ rationis & electionis est; non ad inclinationem, quæ animali competit, ut est animal. *Non inest in primis natura conciliationibus honesta actio*, in- Phil. Epicur. part. moral. Grot. de I. B. 1. 2. 1. 3. de finib. 6.

quit *Cicero*. Enumerationem *Philippi Melanchthonis* ad reperiendam hujus doctrinæ viam, accommodatam esse, antea diximus.

Hugo de Roy, juris naturalis (quod rationale vocat; animale enim diximus merito hinc
tit. 3 §. 5. removeri) duo ponit summa capita: 1. *Diligere Deum rectorem suum*. 2. *diligere proximum*
tit. 4. §. 5. *aque ac seipsum*. Juris gentium ista: 1. *res dividere*. 2. *punire sontes*. Neutrum ex more philosophi dictum est. Quantum enim ad primum attinet, non exprimuntur capita juris naturalis, sed capita singillatim exprimenda coguntur in compendium: unusque & idem fons omnis juris naturalis stilo S. Scripturæ signatur, AMOR. *amor*, inquam, *Dei & proximi*. Quæ philosophia mysterio non caret; neque ethnicis vel vocabulo tenus satis intelligitur. Philosophi enim ethnici dicerent: *Summa juris naturalis est in his: 1. Bona sunt facienda. 2. mala sunt vitanda: utrobique, tum erga Deum; tum erga hominem, id est, seipsum, vel alterum*. Verum tali constituto fundamento, tamen requires summa capita hujus juris, & demonstrari tibi in præcipuis generibus concupisces. Sicut, qui audivit ex Servatore Nostro summam Decalogi, non propterea tamen singula præcepta ejus non desiderat. Jam cur *res dividere*, *punire sontes*, magis juris gentium sit, quàm naturæ, ut hæc vere & accurate distinguuntur (nam Juri gentium multa multi tribuunt, quæ sunt juris naturæ) nulla potest idonea ratio dari.

Nec

Nec sufficit dicere: *hæc à jure Naturæ originem, à jure Gentium confirmationem habere.* Ita enim non distingues, sed confundes omnia. *Res dividere*, jus naturæ est: id est, non ita accipit à Natura originem, ut Gentium demum arbitrio jus fiat, sive juris rationem induat; sed natura ipsa hoc jus facit, & absolvit. Repeti quidem hæc Naturæ sanctio potest, legibus moribusque Gentium; imo legibus singularum civitatum. Pleraque enim omnia jura naturæ, civili quoque jure repetuntur, ac denuo præcipiuntur. Non tamen confundi debent ista, aut hoc obtentu, discrimen juris naturæ & juris civilis obliterari. Quod permultis est solenne. *Res dividere*, præceptum est Decalogi, id est, caput juris naturalis. Qui enim dixit, *Non furaberis*, eadem opera dixit: *Sit rerum proprietas & distinctio; teneat quisque suum; alienum non concupiscat.* Quod in Decalogo altera vice inculcatur. Miro utiq; modo sapere eum dixerim, qui animo concipere furtum, aut explicare possit, sine præcepta dominiorum distinctione. Furtum enim nisi proprietate constituta, vel cogitare, ab omni ratione alienum est. Id quod ultro agnoscit catalogus legum naturæ *à Melanchthone* propositus, de quo supra. Sic *pœna inter homines meritum*, juris est naturalis, tum, quà illud *jus* est, tum, quà *naturale* est. Si jus est, obligationem parit: obligatio autem nulla neque esset, neque concipi posset, sine pœnæ alicujus violationi juris imminentis ratione.

De I. N. & G. lib. 1. cap. 4. quod præclare *Seldenus* explicat. Sanctio enim sive pœnæ constitutio naturaliter inest omni juri, qua jus est; etiamsi verbis non semper exprimatur. Neque quicquam naturali rationi magis convenit, quàm ut bene secusque factis condigna merces reddatur. Sed hunc locum non alio consilio attingere volui, quâm ut ostenderem, primas de jure naturali quæstiones, ejusque à gentium jure discrimina, non ita subtiliter partiteque, quantum ad summam disputationis, Grotio etiam in prolegomenis libatam, tradi solere. Ut & illa, quomodo jus naturæ angustius jure civili videatur, & quomodo eodem latius habeatur. Quo *M. Seneca* spectavit, cum dixit: Controv. IV 28. *Quædam jura non lege, sed natura nobis attributa.* Controv. I. 1. Et; *Quædam jura non scripta, sed scriptis omnibus certiora sunt.*

Quoniam autem de hac re sæpius erit agendum, nunc sermonem transferemus ad PRÆSIDIA GROTIANI OPERIS: totiusque structuræ fundamenta, quo ea sint consilio, qua arte, adhibita, sicut Grotius enarravit, singillatim considerabimus. Ex antiquitatis, quæ scriptorum omne genus complectitur, monumentis eruditorum virorum alius aliam philosophiæ partem ingenio suo illustrare sunt aggressi. At, quæ ad *jurisprudentiam illam universalem*, sive *jus naturæ & gentium*, cujus pars est *jus belli*, spectant; ex iisdem fontibus certa via ac ratione, in formam unius corporis cogere, *Grotius* ita instituit,

tuit, ut ſingularis & vere practicæ eruditionis incomparabile ſpecimen daret; & quantum rerum maximarum in legendis ſcriptoribus antiquis pleroſque præteriret; tum, unde, tanquam ex abditis penetralibus ad illuſtres & publicos vitæ uſus, multa & præclara depromere fas eſſet, eâdem opera demonſtraret. Nihil certe ſcripſit, unde copiam & elegantiam ſuæ doctrinæ ingeniique magis optaret æſtimari. Quare & ſcriptores paucis bene cognitos tractatoſque ſtudioſius ad partes vocavit: artes quoque interpretandi, eruditis tantum notas, in tempore & loco, multa cura judicioque adhibuit.

Sequamur veſtigia ejus, qui de PHILOSOPHIS primo loquitur: & *Ariſtotelis* in hoc genere principatum examinat. Gravius ille quidem, quam *Antonius Quarengius in lectionibus Ethicis*, qui ludere, non judicare videtur, quotiens Ariſtoteli contradicit. Non tamen ſunt nulla, quæ pro Ariſtotele dici poſſunt, in explicanda virtutis natura; ſive potius, quæ pro ſe ipſe Ariſtoteles dixit, ſi in promtu ſint judicaturo, quæcunque in opere Ethico, de ratione inſtituti ſui paſſim ſubmonuit. Neque tamen invidia hinc eſt facienda Grotio, quæſtionem antiquitus motam, ſuo quodam judicio proſequenti. Verum iſta alterius loci ſunt. Videtur Grotius ad hujus operis uſum inprimis legiſſe librum *quintum Ethicorum Nicomach.* Ejuſque interpretem doctiſſimum *Michaëlem Epheſium*: cujus etiam locos quosdam

dam Latine convertit. Et sane ille liber multa & recondita, & huic argumento propria continet, à nemine prorsus & accurate explicata. Quamquam & ex *ceteris libris*, eorumquè *interpretibus*, *Eustratio*, *Aspasio*, tum *Andronico* (sive aliud nomen est ejus, quem *Daniel Heinsius* edidit, & reperi in Msc. quodam *Catecuvii*, corruptum quidem, sed unde dubitatum de auctore constat, vocabulum) plane eximia ad illustrandam hanc materiam peti possunt. Idem de *Politicis* & *Rhetoricis Aristotelis* dixeris. *Problematum* quoque Auctor non indictus Grotio, quasdam quæstiones practicas ex fontibus juris naturalis perite disceptat.

In *Platone*, quod non perfunctorie dicendum est, plura etiam ad disputationem de jure naturæ pertinentia, reperias, in primis in *libris de Legibus*. Neque enim alius quisquam studiosius, omnia vitæ civilis præsidia & instrumenta, tum legum civilium rationes ad naturæ normam exegit. *Igitur nemo in hunc diem satis hoc auctore ad hoc argumentum usus est: ne Grotius quidem, cui plerunque magis in promtu fuit Philo, Platonis imitator, & Maximus Tyrius*, Philosophus Platonicus. *Philonis* enim, ut hoc in transcursu adiiciam, Philosophia adeo diligenter utitur Grotius, ut etiam gloriari videatur cognitione scriptoris reconditi & singularis.

Stoicorum philosophia, proprio elogio huc pertinet; quibus caput & summa est, omnem

hunc

hunc civilem in disputando locum, ad naturæ leges & placita revocare. *Epicteti Enchiridio* explicando, *Simplicius*, quantum ad principia humanarum actionum, quæ vocant, & facultates animæ attinet; *Arrianus* in ipsis actionibus, & honesti justique rationibus, egregiam operam navarunt. Inde proximas *Antonini Imperatoris* fragmentis tribuunt partes. Cujus libri non est tamen, apud exquisitæ eruditionis viros, eadem quæ vulgo obtinet, æstimatio. Tum, quæ apud *Diogenem Laërtium*, *Plutarchum*, aliosque Græcos, de Stoica disciplina reperiuntur. *Seneca* enim in Latinis Stoicis, familiare Grotio in toto hoc opere nomen est: neque immerito. Sed & in ceteris Philosophorum sectis multa eximie huc faciunt apud *Stobæum*, *Sextum Empiricum*, *Diogenem*, *Philostratum*, *Jamblichum*, *Porphyrium*, *Eunapium*, plerumque etiam *Grotio* demonstrante reperienda.

Latinorum Philosophorum decus omne penes *Ciceronem* stat: cujus duo opera *de Legibus*; & præsertim *de Officiis*, mirum quantum conferre possunt huic materiæ. Quamquam nobile illud *de Officiis* opus illi tantum intelligunt, qui Græcorum Philosophorum sententias ex variis sectis, in antiquitate dispersas, ingenio & labore conductas perspectasque habent. Sicut ejus rei specimen fortasse alio tempore dabimus. Grotius multa debet his libris, etiam ubi non ostendit.

HISTO-

HISTORIARUM, ſicut maximus apud rerum publicarum adminiſtratores, & quos barbaro vocabulo Statiſtas dicunt, abuſus eſt (quid enim non obtentu alicujus facti velatum defenſumque cupiunt?) ita *verum uſum* præclare Grotius oſtendit. Non *auctoritate* modo, quæ in rebus dubiis aut raris etiam cumulatur (vide *exempla Grotiana* 1, 3, 12. *in Textu & Notis*; 1, 4, 14. *in Notis*; 2, 23, 8. *in Textu & Notis*; 3, 1, 5, *in Notis.*) ſed diſciplina & tractatu rerum; cum pleræque diſputationes juris hujus publici & communis, examinantur in Senatu, adornantur Legationibus, diſceptantur contentionibus, & orationibus contrariis: quibus nihil eſt potentius ad demonſtrandum, color juris & ſimulacrum, quid vero jure interſit. Unde mos *Eclogarum* Conſtantino placuit. extat duplex fragmentum, *De Legationibus* (quarum inſignis eſt hoc loco commendatio) & *de virtute ac vicio*, illius editione partim *Urſinus*, partim *Hœſchelius*; hujus, *Henricus Valeſius* rem literariam ornarunt. Illud in Grotio eximium eſt & ſingulare, quod nobiliſſimarum rerum argumenta etiam inde deduxit, unde deducenda eſſe, plerique ignorant. Tres nominabo, qui fere alios ad uſus tractantur; nec minus tamen huc valent: *Strabonem*, *Pauſaniam*, *Apollodorum*. Pleni recondita philoſophia libri; ſed quæ non erui ſemper aut dijudicari, niſi à doctiſſimis poteſt. Eos autem hic intelligo doctos, qui practico illo mentis lumine in vitæ

ac ne-

ac negotiorum abdita penetrarunt: ad exemplum Grotii, inter istas rerum tenebras oculati ac perspicacis.

Poetarum classem persequamur: quorum duplex Grotio usus; *primus*, qui reliquorum scriptorum omnium, ad astruendam fidem; *alter* ornandi operis. Si tamen hic aliquid ornari potuit, quin eadem opera instrueretur. Nonne enim philosopha est sententia ejus, cujus verbis mavis uti, cum philosophandum est, quàm tuis? sed de re plerisque incredibili, caute loquendum est scribentibus opera, pragmaticis quibusque viris usui futura. Agam igitur apertius. *Poëtæ*, inquis, *serviunt suæ caussæ, & bona, mala, vera, falsa promiscue afferunt:* & figuris, rerum momenta sæpe posthabent. Hinc ergo nulla solida philosophia peti potest. Magnam facit injuriam veteribus Poëtis, qui ita autumat. *Serviunt caussis personisque, fateor: sed imperitus sit lector oportet, qui caussas personasque non noscit, non discernit.* Alia ex Paride quodam audies & expectabis, quàm ab Ænea: alia est Achillis oratio, qui *jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis*, alia Nestoris. Apud *Senecam* Tragœdum, *Pyrrhus*, jus belli in sævitia ponit; *Agamemnon*, quem Poëta ei adversarium dedit, satis declarat, summum jus victoriæ, summam esse iniuriam. An dubium esse potest; uter veriora loquatur? simul hoc boni inest; quod melior sententia, contentione alterius non modice illustratur. Non Troad.

decet nunc ingredi hanc diſputationem. hoc tantum volui: *qui Poëta, conſilium, οἰκονομίαν, perſonas novit, non timebit, ne pro veris falſum arripiat.* Neque figuris nulla ſubeſt veritas. Vitium ſeculi eſt, quod hodie non intelligimus, quanti philoſophi ſint Poëtæ: ſive etiam non audemus dicere. Arcana hæc eſt eruditorum diſciplina: cui Grotius tantum debet, ut non alii magis. Sicut autem juris civilis peritiſſimi ſunt *Comici* (in Terentio non ſemel oſtendimus) ita jus illud commune naturæ & gentium *Tragicis* ubique curæ eſt. Comicorum enim inſtitutum ad vitam privatam, Tragicorum ad publicam pertinet. Hinc Grotio tam familiaris *Sophocles*, *Æſchylus*, & præſertim princeps ſui generis *Euripides*. Sed hæc nemo niſi expertus credit.

Jam *Epici Poëtæ* non eadem tantum, qua Hiſtorici ſolent, diligentia juris & æqui rationem in negotiis publicis conſignant; ſed variis inſuper amplificationibus, inventis, diſputationibus explanant. Sæpe apud ipſos pars magna οἰκονομίας, & contexendi operis eſt hæc philoſophia juris; de qua loquimur. ſicut in divina *Æneide Maronis* obſervari debet. Quæ & nullam particulam juris naturæ & gentium intactam reliquit. Pauca ſunt de infinitis, quæ Grotius veluti in ſpecimen diſciplinæ decerpit. Ex *Homero* itidem non eſt locus hujus argumenti, qui non poſſit inſtrui. Sed quæ exprimuntur vocabulis, & monſtrantur titulis, facilius hoc nomine æſtimantur.

mantur. Quæ autem politicis involuta ſunt artibus, eruditioribus copioſam prorſus meſſem bonæ frugis ſuppeditant. *Statius Papinius* nominatim etiam hic commendandus eſt: &, qui Grotio acumine ſententiarum & pondere civilis prudentiæ, eximie etiam in hoc opere placuit, *Lucanus*. Per omnes enim ire nihil attinet: niſi quod *Silius Italicus*, & *Claudianus* haud obſcura ſunt, ubi de hoc inſtituto agitur, nomina. Et *Ovidius*, qua Epicus eſt, *Virgilio* adjunctus intelligitur, etiam cum non nominatur. Magna pars perpetui operis, non modo expletur, ſed conſeritur hujus philoſophiæ momentis. Poëtarum reliquorum genera, ſicut peritia hujus juris deſtitui nemo dixerit: ita propoſiti ratione aliorſum deſtinantur. *Horatio* tamen multum debere ſeorſum poteſt, qui ſapientiæ ſtudiis ſerio imbutus eſt. Sed de Poëtis hoc quidem loco ſatis.

ORATORES Poëtis conjunxit Grotius: intellige illos πολιτικὺς, aut eorum opera, non tam forum & lites, quàm deliberationes de republica ſpectantia: ſicut *Cicero* ipſe ſuas orationes diſtinxit. Hujus generis potiſſimum ſunt *Demoſthenis* Συμβυλευτικὰ: & *Iſocratis*, & *Ariſtidis*, & *Themiſtii*. Quamquam nec forenſes orationes veterum hujus philoſophiæ ſunt inanes. Quid ſplendidius explicatione juris naturalis circa defenſionem ſui & rerum, in *Miloniana Ciceronis*? Quid gravius demonſtratione juris naturalis, quo libertas cujuſque civitatis munitur, adverſus obtruſam

reipublicæ alienæ societatem, affectatumque societatis obtentu imperium, in *Plataico Isocratis*? Qualia etiam in *Demosthenis* aliorumque forensibus occurrunt. Ille autem locus de pœnarum origine, taxatione, finibus, judicialibus istis scriptis quodammodo proprius est, sicut vel ex *Lysia* constat. *Panegyristæ* autem cum res bellicas laudant, multa de jure belli subinde interspergunt; cum justitiam aliasque virtutes describunt, & gravitatis & artis putant, ex naturæ fontibus; Gentiumque institutis rationes illustrium factorum deducere; & unde singula proficiscantur declarare. Inter Oratores Grotius eximie adamavit *Dionem Prusæum Chrysostomum*, civilem, pressum, acutum Oratorem; ex quo quantum peti possit, paucis notum esse credidit; & *Libanium*, copiosæ itidem disciplinæ auctorem, si quis demonstratam à Grotio amplius viam insistat. *M. Senecæ controversiæ* singulari elogio hic debent signari: quibus addi & *Declamationes* aliorum possunt, in hujus philosophiæ abdita haud infeliciter plerumque provectæ.

Ex LITERATORIBUS & GRAMMATICIS Græcis Latinisque & *Scholiastis*, legere tam gravis argumenti subsidia, viro totius antiquitatis gnaro & studioso, ratio fuit. De quibus nominatim ut agamus, parum videtur esse necessarium.

Progrediendum est ad LIBROS UTRIUSQUE FOEDERIS, quibus DEUS fidem & mores hominum erudire ac regere voluit; monimen-

mentum, ut ad cetera, ita ad hanc ipſam juris naturæ diſciplinam, ſanctiſſimum, certiſſimum, uberrimum: ſi quis uti ſciat. Quod à Grotio factum eſſe non poſſumus aſſeverare. Gloriatur ille quidem, ſibi ubique curæ fuiſſe, diſcrimen antiquæ & novæ legis, ut loquitur. Sed hoc ipſum eſt fundamentum, cui ſuperſtruit errorem perpetuum ac intolerabilem, quo Legis divinæ naturam & conditionem, Legislatoris DEI conſilium ac propoſitum, Servatoris Chriſti officium ac diſciplinam pervertit atque confundit: eaque inde deducit placita, quæ multis ambagibus implicant doctrinas, longe explanatius ſemper in Eccleſia traditas tradendasque. Scilicet hoc *Socini* ſcriptis nimium adamatis debet, quod omnibus ſuis operibus infauſta illa emblemata inſeruit, ad quæ nauſeant piæ, ſimpliciusque & ſanctius divina oracula & ſanctorum Patrum volumina tractare ſolitæ mentes. Nihil eſſet utilius opuſculo illo, de veritate Chriſtianæ religionis: ſed hi nævi faciunt, ut adoleſcentulis non ſatis præmunitis commendare vereamur. Laudo & admiror Grotium: *ſed Theologiam ejus deploro*; vel cum interpretatur ſcripturas, vel cum de interpretibus ſententiam dicit. Non magis feliciter ei ſucceſſit affectata Theologicæ eruditionis laurea, quam Salmaſio ſuſcepta cum Jureconſultis diſceptatio. Non, quin uterque multa præclara, ad locos ſcripturæ, & juris civilis attulerit; ſed quod Theologiæ & Juriſpru-

dentiæ formam ſuis membris aptam, ſuis articulis confertam, ſuo naturali contextu perfectam, neuter animo comprehenderit. Igitur pro Grotio optime dixerit, arbitror, qui Scripturâ ſacrâ eum in hoc opere de jure belli & pacis, non ut principio, quod vòcant, uti; neque, ut *Seldenus*, de jure naturæ & gentium *juxta diſciplinam Ebræorum* egit; ita Grotium de eodem, *juxta diſciplinam Chriſtianorum* voluiſſe commentari, crediderit. Longe enim aliter fuiſſet incedendum, ſi hæc itineri meta proponeretur. Quod optabile quidem eſſet non uno nomine. Sed abunde rem magnam præſtitit Grotius, quod in explicando jure naturæ & gentium, *rectas illationes ex principiis naturæ procedentes*, *&* *conſenſum nationum communem in obſervandis*, *quæ juſta vellent haberi*, proprie indagavit, & ex inſtituto operis explicavit. Huc enim ſpectant, quæcunque undecunque arceſſuntur. Quæ autem ſeorſum de ſingulis θεολογουμένοις, tum de perfectione novæ legis, quam adornat, & cum veteri comparatione, aliiſque hujus generis dicenda ſunt, ſuum alibi habent locum.

In Fœderis antiqui explicatione HEBRÆORUM MAGISTROS ſive RABBINOS ſe adhibuiſſe, ait Grotius. Quod in hoc opere forte ſæpius ei ſucceſſit, quàm in aliis. Laudat hoc con-
l. 2. ſilium *Seldenus*: ſed ut oſtendat toto opere, longe majorem Rabbinorum in hoc tractando argumento uſum eſſe poſſe, ſi quis in hoc ſtudiorum genere fuerit exercitatus. Quod

nec

nec Seldenus, nec quisquam alius de Grotio credidit: cui *Maimonidis* disciplina fere est τὸ πᾶν. Neque indignum est consilium ejus, quod sequantur, qui illis literis intentius vacare nequeunt. Decore certe nec sine arte gratiam operi suo inde conciliavit Grotius: relicta interim & reservata Seldeno, vere illas literas docto, perfectioris commentationis, quæ in partem Grotiani operis succenturiaretur, gloriâ. Et, quoniam sic quoque cespitare solet Grotius, gaudeo & glorior me persuasisse viro interioribus Hebræorum literis inter paucissimos hodie erudito rarissimisque & plurimis, Msc. etiam libris instructo *Joanni Christophoro Wagenseilio*, ut ad ea, quæ ex Rabbinis in hoc opere adferuntur, aut ex literatura Hebraica explicantur, animadversiones scriberet. Quod ad primum quidem operis librum felicissime præstitit: atque, ut in ceteris pergat, sicuti hactenus non semel à me privatim, ita nunc publice rogatur.

Sequitur *Auctoritas Ecclesiæ*, tum SYNODICIS CANONIBUS, tum S. PATRUM, sive Doctorum veteris Ecclesiæ monumentis prodita. Hinc plurima peti eximie posse, si quis secundum disciplinam Christianorum hoc argumentum vellet tradere, in aperto est. Palma in medio posita est: nemo eam hactenus abstulit. Consilio auxilioque erit, si quis audet, in primis *S. Augustinus*. Qui enim de omni argumento morali & civili, plura, exquisitiora, subtiliora, & ad singulas non res modo, sed momenta

rerum, penitius pertinentia differat, ex Theologis veteribus nemo laudari potest. Nam & *Chrysostomo* inter Græcos hoc nomine illustri πολιτικώτερος est. Illud in Grotio vix quisquam probaverit, quod *Ephræmi* sui, quomodocunque ad posteros propagati, *Euthymii Zigabeni*, & ejusmodi nominum, rariorum forte, quàm præstantiorum, auctoritatem sæpe in explicanda Scriptura maximis & gravissimis antiquorum patrum sententiis præfert. Cujus consilii ratio etiam aliis in operibus sæpe ei fraudi est.

Ad SCHOLASTICOS hinc perveniendum est: quos sero, & hujus ipsius operis caussa attigit Grotius. Cujus rectum in eo judicium eluxit, quod ardui argumenti doctrinam, via & arte, partite & subtiliter componi non posse vidit, absque ope & adminiculo sublimis sapientiæ, quam Metaphysicam vocant. Itaque hanc ex Scholasticis petitam, quodam modo ostentat, ubi occasio offertur. Quæ de cetero *in prolegomenis* affert *de Scholasticis*, quin recte se habeant, nullus dubitem. Usus autem eorum illuc quoque pertinebat, ut conscientiam in faciendis vitandisque moderari volentibus, nunquam deesset ratio, quæ pondera rerum in hanc vel illam partem inclinaret. Tota quippe Theologia moralis, quam vocant, in eorum scriptis diffusa, huic argumento affinis est. *Thoma* & *Cajetano* diligentissime usus est. Nihil habet eorum judicio gravius omnis illa schola. *Dominicus* Sotus ad omnium

um, qui ante ipsum scripserunt in hoc genere, doctrinas dux & index esse potuit. *Sylvestri* quoque auxiliaris, an Isagogica est opera, *Lessii*, *Molinæ*, *Medinæ*, frequens & celebre nomen occurrit. Neque opus est, ut de singulis dicatur, quos ex opportunitate argumenti laudat.

JURISCONSULTOS in tria genera discrevit: ubi dubitandum non est, quin *veteres illi Jurisconsulti*, quos sæpe laudat Grotius, hujus quoque juris universi fuerint peritissimi; & omnino infinita hujus disciplinæ studioso suppeditent: etiam cum naturæ & gentium juris, (quibus nominibus aliter sæpissime eos uti, constat) nullam mentionem faciunt. Est enim jus Romanum plerumque desumtum ex optimis naturalis æquitatis rationibus, & gentium saniorum placitis, ad quæ in ferendis legibus perstudiose animum attenderunt Legumlatores. Mutuatur inde Grotius non tantum ea, quæ ad quæstiones tractatas pertinent, sed quæ alio destinata, suas rationes huc produci sinunt. Id quod excusare Grotium haud raro poterit, quando leges civiles alio trahere, & aliter, quàm usitatum est, interpretari videtur. Non enim Grotius legibus civilibus hic *ut fundamento* nititur, sed quæ suo proposito illustrando idonea putat, inde affert. Neque adeo interpretem juris civilis agit: *cujus studiosi alios utique doctores sibi adeundos sciunt.* Atque sicut jus civile Romanum ad usum fori & rerum actum accommo-

daturo forte non opus fuerit, rationes legum aut philosophiam penitius scrutari: ita invidendum non est eorum diligentiæ, qui in illo eruditionis omnigenæ oceano, Jureconsultis non modo, ut legum vigorem obtinuit ipsorum sententia, sed ut sapientiæ singularis profectu & invento æstimari merentur ipsorum scripta, animum intendere voluerint. Cujus disciplinæ mos etiam in Codice locum habet. *Covarruviæ* & *Vasquio* inter recentiores Jureconsultos Grotius plurimum debet, ut fatetur: neque parum *Bodino* & *Hotomanno*; sed in primis *Alberico Gentili*, qui serio institit hanc viam; collectis diligenter, velut in communes locos, quanquam non adeo accurate digestis hujus argumenti copiis. *Bodinus*, summi ingenii vir, multos monuit, quomodo Politicam & Jurisprudentiam debeant conjungere, id est, quomodo utrique ex historiis, quarum studiosissimus fuit, debeant lumen mutuari, & promtum in usus vitæ robur accommodare: reprehensus ille quidem non immerito & hic à Grotio, & alibi à *Piccarto*, quod politicam cum jure interdum confuderit. Quod sicut à doctore civilis prudentiæ abesse debet; ita de cetero optandum fuerit, ut ii, qui reipublicæ & negotiis studia sua destinarunt, de conjungendo cum Politica, præsertim Jurisprudentiæ universalis usu, & pro civitatis institutis & administrationis publicæ moribus, etiam jure civili, serio cogitandum sibi existimarent. Necessitudo horum studiorum commenda-

ad c.15.l.4 Polit. Arist.

mendatur, non defenditur confusio: qua fit, ut multi errore publice pernicioso credant, sola juris civilis peritia, omnem reipublicæ tractandæ rationem circumscribi ac sustineri. Sed *Bodini* lectio, virum postulat doctrina & judicio subactum: à qua propterea tyrones horum studiorum merito sibi temperarent. *Disputationes enim ejus adversus Aristotelem*, perpetuum & infelix ἔμβλημα præclari operis, Græcæ linguæ peritia & exquisitiore philosophia dijudicari & argui desiderant. Solennia etiam errat *in exterorum rebus* ad historiam & rempublicam pertinentibus: sicut vel Germanicæ rei exempla abunde ostendunt. Indulget *& suis quibusdam commentis*; quod in *proportione harmonica* varie rebus accommodanda, præter modum & rationem fieri ab eo videmus. Neque tamen censorem ejus *Albergatum* Italum ubique feras: imo eruditionem ejus sæpe, judicium & modestiam nonnunquam, in verbosis illis disputationibus desideres. Sed hæc alio loco opportunius disquiruntur. Hoc unum non pigeat adiecisse: Grotium ita subsidiis istis, sive ex veteri, sive ex juniore ævo petitis, usum esse, ut & scriptòris cujusque ingenium, artesq; penetraret perspicacissime, & scripta judicaret gravissime, & ad nobiliores usus transferret electas opes felicissime. Igitur nec facile fiet, ut suo merito æstimetur, aut familiariter se noscendum præbeat, nisi ingeniis earundem artium gnaris neq; à sensu illarum primæ sortis dotium prorsus alienis.

Vocavit quosdam testes Grotius in ANNOTATIS, quos in opere ipso non laudaverat: præsertim in recentioribus. Hinc nata curiosis occasio, *de proposito & instituto Annotatorum* suspicandi. Ajunt enim, genio sæculi datum, ut istis, quæ vulgo ubique celebrantur, nominibus plures allicerentur lectores. Qui serio consideraverint omnia *Annotata*; vix hoc sibi persuaderi siverint. Venerunt quædam sub manum, dum componitur opus superfutura velut ex abundante materia, composito: pleraque accesserunt; eo more, quo scriptores quorumcunque operum ad ea libenter respiciunt, & eo referunt annotantque, quæ posterior lectio adjecerit. Quod enim de quibusdam nominibus suspicantur, quasi illicio delectis, parum est verisimile. Nam Jureconsultos quidem etiam juniores passim in opere ipso laudavit, nisi quod modus nominum servandus videbatur. Ad quorundam autem *lectionem revera serius accessisse* eum scimus. Cujus generis sunt, quæ ad statum rei Germanicæ, à propioribus sæculis pertinent. In qua disciplina nescio an valde profecerit. Sunt igitur *Annotata hæc, interdum quidem explicandis*, quæ subobscure dicta erant, *aliquando supplendis*; plerumque autem *locupletandis & illustrandis* prioribus adjecta: vel exemplis, vel sententiis, vel accommodatione facta. Est ubi suffecit in opere indicasse librum magnæ frugis, cujus in Annotatis uberior commendatio, in rem præsentem lectores invitat. Id

quod

quod in *Consulatu Maris* factum cernimus: libro nunquam satis laudato, si argumenti nobilitatem, copiam, usum spectemus. Quem Latina veste indutum conspici, publice arbitror interesse.

In ipso tractandi genere, vellicare solent Grotium, quasi non more philosophi versatum: præsertim, quantum ad DEFINITIONES & PROBATIONES atque DEMONSTRATIONES. Fateor in præcipuis philosophi operibus ac speciminibus hæc esse. Sed mirari subit eos, qui Aristotelem videri volunt edidicisse, nec meminerunt, quæ ille in Ethicis sæpissime, sed & alibi inculcat: *in materia morali ac civili, non esse omnia ad mathematicam rationem & ἀκρίβειαν exigenda, sed ita tractanda, sicut natura & conditio rei postulat.* Quin &, *non esse hominis eruditi, ultra morem argumenti, accuratas rationes exigere*, graviter testatur. Hinc est, quod ipse Aristoteles in toto opere civili definitionibus accuratis raro usus, plerumque popularius res describit. Quanquam, si uspiam, hic certe locus erat illi arti, cujus peritia censeri singulariter voluit tantus doctor. Minor necessitas *Varronem in* Noct.Att. *libro Humanarum* adstrinxerat, cujus descri- 1. 25. ptionem *Induciarum Gellius* ita tuetur: *Sed profecto non id fuit Varroni negotium, ut inducias superstitiose definiret, & legibus rationibusque omnibus definitionum inserviret. Satis enim visum est, ejusmodi facere demonstrationem, quod genus Græci τύπους magis & ὑπογραφὰς quam*

ὁρισμοὺς

ὁρισμοὺς vocant. Non ignoramus de cetero, multum mali in omnem locum civilem invectum esse, definiendi, distinguendi, probandi imperitiâ atque negligentiâ: quam in tempore & loco serio incusamus. Neque sane unquam in eorum concesserimus sententiam: qui nullam prorsus in hoc doctrinarum genere scientiam firmam certamque tradi statuunt: multo minus tolerare illos possumus, qui omnia quæ in civili philosophia traduntur, vaga, incerta, fluxa, per impudentissimam & indoctissimam stultitiam effutiunt. Contrarium enim eruditis notum & in tempore demonstratum est. Nisi quod per singulas amplissimi studii partes id haud adeo exculta diligentia disputatum est. Grotius, inter juniores quidem, diligentia hujus instituti, in hoc argumento, omnium ante se curas superavit: primusque pedum viam vidit, qua decurrentes ad metam, citra ambages contenderent. Habuit enim in oculis, usum & morem vitæ ac sæculi, cui destinandum hoc opus esset. Ad quod declarandum & supplendum multa interim de exquisitiore doctrinarum penu adiici posse, nemo inficias iverit. Neque tamen hoc facturus cavillari verba debet, aut, cum ratione præterita, criminari: aut à se inventa, cum injuria tam pulchri operis extollere. Sicut nec *adulantem navos*, ut ante dictum est, probaveris. Verum de his rectius in re præsenti, & singulis operis partibus ac membris agetur. Ubi &, quantum se pro

Philo-

Philoſopho geſſerit, opportunis locis demonſtrabitur.

Nunc illud tantum attingemus, quod ad univerſi operis rationem attinet. TEMPERAMENTUM JURIS BELLICI, de quo, ante Grotium, ſerio, & per modum diſciplinæ nihil cogitatum eſt. Sicut enim in tractando quocunque jure, nemo ſatis erudite verſari putandus eſt; qui ſectando ubique τὸ ἀκριβοδίκαιον, ſive merum juris rigorem, æquitatis rationes undique emergentes, atque Legumlatoris, interpretis, judicis oculis, decorâ ſpecie obverſantes prætervideri atque contemſerit: ita, quin jus belli, vulgo jactatum, & horribili forma adornatum, ſine temperamento æquitatis, quam natura comminiſcitur, ſapientia commendat, in ſummam haud raro injuriam degeneret, non poſſunt dubitare, qui rerum aliquem uſum habent. Ne ergo in ſummo jure ſumma crux ſtatueretur, aut ſtatuta toleraretur, Grotiana proſpectum eſt prudentia & doctrina, quæ hunc locum, id eſt, animam juris bellici, eximie conſpici, in parte operis neceſſaria conſtitui, ſuoque pretio taxari voluit. Hoc eſt nimirum rebus crudis guſtum, immodicis modum, immanibus humanitatem dare. Μεγάλη χάρις αὐτῷ, qui larvam juris detraxit licentiæ, hominesque more belluarum inter arma verſari vetuit.

lib.3.à cap. 10. usque ad 17.

DICENDI GENUS conciſum elegit Grotius; non modo ad exemplum philoſophici inſti-

instituti, sed naturæ quodam ductu. Amavit enim ubique orationem pressam, & quadam dignitate gravem. A qua nec in historia sibi temperavit. Satis constat, virum nostri sæculi summum, omnisque doctrinæ & auctorem & censorem gravissimum, *Hieronymum Bignonium*, cum ineditas adhuc Grotii historias & Annales legisset, non probasse brevitatem orationis, obscuritati obnoxiam, in illo genere scripturæ, quod à perspicua venustate potissimam commendationem caperet; peneque Grotio persuasisse, ut rescriberet. Sed invito genio, qui format fere orationem, vix suscipi feliciter aliquid videmus: & in historia, facilitas erudita optari, gravitas non inepta ferri debet. Quæ in hoc quidem opere plus rationis habere videtur. Sicut & in *præfatione ad Regem Christianissimum*. Liceat dicere, quod mihi in mentem venit: *amplissimo cuique & facundissimo Panegyrico si non anteferendam, æquandam tamen eam esse.* Adeo nullum verbum otiosum, nulla sententia à majestate rerum declinans, & in angusta stili complexione copiosa reperitur summa.

Græca suis fere verbis Latina reddit, conscius sibi egregiæ artis, magnique in hoc genere successus. Quantum enim valeat, carminibus Græcis Latino metro mutandis, luculento opere fragmentorum Poëticorum, quæ ex *Stobæo* ad hunc modum convertit, apparet. Et in soluta oratione, *Procopii Vandalica &*

ca & Gothica, illustrissimum hujus laudis monumentum haberi par est.

Forte interim illud aliquem moveat, ut minus præclare de hoc opere sentiat: *quod usus ejus in vita humana vix demonstrari queat. Tractantur enim hic officia hominis, ad quæ ex jure naturæ tenetur, sive quæ ex lumine naturæ colligi possunt. At vero talis status hominum nunquam fuit aut est, in quo sola illa obligatio obtineret.* Quid ergo multum soliciti sumus de re, quæ nec in usu fuit, nec erit; Non addam cum non nemine: nec esse debuit. Si enim homo mansisset in statu sanctitatis primævæ, hæc sola illum lex ut ab initio rexit, ita rectura deinceps erat: nisi quod una aut altera positiva accedere poterat, sicut de vetita arbore constat. Sed profecto, qui ita sentiunt, ipsos omnis juris sanctissimos fontes ignorare, si non spernere, videntur. Possis eodem modo inferre: nunquam post peccatum admissum talis status hominum fuit, in quo solæ obligationes, quæ ex Decalogo sive lege morali, id est, jure naturæ repetito divina promulgatione, homini conveniunt, obtinerent. Semper enim aliqua πολιτεία fuit, quæ sine legibus positivis cogitari nequit, aut instar πολιτείας, ut in magna domo, aut corpore familiarum; ubi jussa patrisfamilias aut principis sive principum illius cœtus, legis civilis rationem habere intelliguntur. An dices hinc consequi, de Decalogo explicando, & probe intelligendo, nobis non magnopere laborandum

dum esse? Unde tamen maximi quique ICti omnium civilium legum origines deducendas existimarunt. Eruditis certe notum est: nullius gentis jura civilia docte & penitus intelligi, nisi ab iis, qui peritiâ juris naturalis præstant. Norunt hoc, qui possunt discernere opera architecti alicujus secundum disciplinam mathematicam, usu quodam exterius perceptam, non autem ex disciplina mathematica, cujus inscientia sæpe laborat, effecta. Nobilitatem summam juris civilis Romani, & excellentiam illam, ob quam tanto in pretio esse debet, non intelligunt illi, qui velut opificium aliquod tractant, & ea quæ in usu fori sunt, ac quomodo in usu sunt, in numerato habent. quamquam ea quoque peritia suam, nec paruam laudem habet. Sed quos civilis hæc philosophia, de qua loquimur, omnis juris magistra, penitus imbuit, non modo legis præcepta, sed ipsas præcipiendi rationes, consilium, prudentiam, ab ipsis originibus per omnem legislatorii operis processum illuminato jam oculo perspiciunt penetrantque. Verum, de his alibi plenius. Illud interim non est eruditi, ad tam pauca respicere, ut, quod in statu singularum civitatum non statim objicitur oculis, in universum negare instituas; & in tali præsertim argumento, illam humani generis civitatem, altiore auspicio huc pertinentem, prætervideas. Nonne enim civitatum, rerumpublicarum, imperiorum, quæ seorsum valent & sufficiunt sibi in

bi in summam ordinis & poteſtatis aliunde non pendentis, quoddam tamen corpus natura conſtituit, quod non jure minus regeretur, quàm partes ſingulæ? Sed jure nimirum non civili, quod poteſtas civilis conſtituit, & civibus ſuis promulgat; verum jure, quod poteſtas civili altior ſancit, id eſt, Deus per naturam & rationem; jure, inquam, naturali, divinæ mentis ſpecimine, ſeu lege divina, cujus pars eſt ſanctio naturæ rationalis ſocialisque. Non poſſent conſervari ſingulæ civitates, ſive ſingulorum imperia populorum, niſi aliquid eſſet, quod contineret univerſum corpus communi aliquo vinculo, quod non poteſt eſſe aut cogitari aliud, niſi jus omnibus commune, quale ſolum eſt, de quo agimus. Omnium enim inter ſe gentium bella exiſterent, ut primum ab obſervantia juris naturalis eſſet receſſum. Et ſane loquamur de eo, quod factum eſt, non de eo, quod futurum ex certa cauſſa & conſecuturum apparet. Quotiens juris naturalis reſpectus apud nationes populosque viguit, totiens beata pace mundus lætabatur. At, ubi quævis natio, quævis civitas ſibi tendere, atque illud communitatis humanæ vinculum diſſuere cœpit, bella bellis, cædes cædibus continuabantur: donec ad integrandi juris naturæ cupidinem reditum eſt. Voluerunt id ſignare Poëtæ, & qui ex Platonis ſchola periodos temporum ſingularibus notis inſigniebant. Sæculum enim ἡγεμονικὸν, quaſi dicas rectorium, ſub divino

Vaſq. controverſ. illuſtr. c. 29. §. 14.

vino imperio, siue sub lege naturæ, aureum æstimabatur: cum reliqua (τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ θυμικὸν) deterioribus metallis comparari mererentur, eo quod dæmonum & fortunæ per arbitria jactarentur, id est, libidine potius humana quàm studio æqui bonique continerentur, casibusque & laboribus assiduis inquietarentur. Et hodie, quæ alia potior tot bellorum caussa inter Christianos, quàm quod animis excessit reverentia juris naturalis, non inscripti tantum hominum mentibus, & tabulis divinis humanisque; sed Christi ipsius doctrinâ tantopere commendati explicatiq; ? Clarius dicam: Huic inhumanæ feritati incitamentum & prætextum inde nascitur, quod, præter jus illud cujusque nationis seu reipublicæ arbitrio emolumentoque statutum, nullius juris ratio à nonnullis habetur; & sanctissimum unicumque generis & status humani coagulum, quod ex tuenda societate communi constat, oblivioni haud raro traditur. De iis, quæ fiunt, loquimur, nam de iis, quæ dicuntur, paulo aliter sentiendum est. Tanta est enim vis, tantus sensus juris naturalis in animis hominum, ut etiam, qui deserunt ejus decreta, verbis palá contemnere non audeant, sed præferant ultro jactentque: reique, quam vere humanam & socialem sciunt, præscriptione dissimillima studia & contraria proposita vestiant integantque. Nisi quod deteriores istis suomet calculo damnatis ii quodammodo videntur, qui nullam ejusmodi

com-

communis humanitatis copulam agnoſcere, de jure naturæ contemtim ſentire, animique nullo hominum conſortio digni immanitatem, etiam chartis inſcribere tanquam tartareum floſculum, non verentur. Quid enim aliud faciunt, qui nullum juris naturalis uſum ſupereſſe clamitant? qui finiendis regum populorumque controverſiis illam unice accommodant regulam, quæ regendi vim & auctoritatem ultra pomœria ſuæ patriæ nemini obtrudere poteſt? qui contra ſolem ſpuere, & experientiam ſæculi extinguere, tot exempla principalium conuentionum, pactionum, fœderum, juris naturalis ductu auſpicioque perfectorum, proculcare ac ludibrio habere inſtituunt? Ad dedecus ævi non minus quàm ad injuriam ſupremarum poteſtatum, quæ jure privato ſuas regi controverſias nec patiuntur fere, nec pati aliquando poſſunt, pertinere hanc abnormem philoſophiam, nemo eſt, cui non appareat. In primis autem eos, qui in republica verſantur, hæc cura tangit: eorum conſcientiam appellat dejecta ſuo gradu philoſophia melior, ſive veneranda juris naturalis ſcientia, ut, quod ſciunt creduntque præſentiſſimi in omni civili adminiſtratione uſus eſſe, id ſuæ exiſtimationi reſtituant, reſtitutumque tueantur, neque ad publica docendi juvenes munera convolare patiantur homines omnis ſolidæ eruditionis ut vacuos, ita contemtores. Hæc enim fundi noſtri calamitas: hæc reipublicæ occulta tabes paulo poſt manifeſto exitio viam dabit. Corrupta enim

doctrina civilis, non nisi reipublicæ calamitatibus vel exercetur, vel expiatur.

Idem judicandum est de altera non minus fœda calumnia, quando *nihil certi ex hac juris naturalis philosophia peti posse, & omnia, quæ hic disputantur, in ambiguo relinqui*, ementiri non erubescunt. Animaduertat necesse est statim, quicunque hæc audit, hiatum illum & saltum, sive eruditionis contextæ defectum, omnisque philosophiæ imperitiam. Mittendi enim sunt hi homines, si modo per superbiam docendos se præbere, aut commodiorem de se spem excitare unquam possunt, ad scholas civiles & primarum literarum doctores, ut discant, quid sit ratio, quid ratiocinatio, quæ utriusque vis aut fides, quæ natura definitionum, quæ auctoritas axiomatum, quæ firmitas illationum. Scilicet non obligabit me, aut incerta vinculi auctoritate tenebit illa officiorum summa, *honeste vivere, neminem lædere, suum cuique tribuere*, nisi legislator civilis sua sanctione hoc amplexus fuerit? nullum habebunt pondus, quæ destinatâ & naturali consecutione hinc deducit homo sociale animal, nec mundi minus, quàm certi cœtus civis; nisi accedat terror imperii, & certum esse jubeat, quod ante incertum & vagum erat? Fluxum erit & incertum, si quis dicat, *quæ facta lædunt pietatem, honestatem, & bonos mores, ea nec facere nos posse putandum est*, nisi in tabulas suas retulerit hanc sententiam legislator aliquis? Fluxa incertaque erunt, quæcunque

cunq; viri ſapientia & uſu vitæ præſtantiſſimi in eandem ſententiam definiverunt, quam aliquis legislator lege expreſſit: vel antequam in legem alicubi ivit illa ratio, vel poſtquam ſub alio nomine in formulam legis venit? Fluctuabit fides omnis ſapientiæ, niſi auctorem habuerit legis civilis latorem? cumque nihil fere in ullis legum tabulis monſtrari queat, quod non philoſophorum aliquis extra civilis legislationis inſtitutum dixerit, ſcripſerit: nullius fidei aut ponderis erunt omnia. Quid eſt ipſius Juriſprudentiæ jugulum petere, ſi hoc non eſt? an enim alia uſi ſunt doctrina Jureconſulti, quàm philoſophi? an divino inſpiratu agitati ſunt, cum ea ſcriberent, quæ primo non leges erant, poſtea ut leges eſſent, totidem verbis deligebantur? an alia fuit ſummorum illorum virorum ſapientia, cum ſententiæ eorum autoritatem legis acceperunt, quàm antea, cum doctrinæ ſpecimen, non poteſtatis legislatoriæ literis mandarent? Indigna vero merces tantorum meritorum, ſi propterea tantum ſapuiſſe videantur tanti rerum agendarum auctores & officiorum magiſtri, quia placita eorum inter leges numerari cœperunt! Egregie vero de Imperatore judicant, qui non credunt, non dicunt, quod nemo prudens non crediderit, non dixerit: Imperatorem ideo legibus addidiſſe doctorum & prudentium virorum ſententias, quia ſua philoſophia, ſua ratione optime eſſent uſi, eaque vidiſſent ac ſtatuiſſent, quæ rectæ ratio-

tioni maxime consentanea, ex idoneis principiis bona illatione provenirent: id est, quæ conscientiam obligarent, antequam legali sanctione munirentur. Conscientiæ enim prima ratio apud omnes, qui eam non oppressam cupiunt: quam obligat omnis ratio naturalis, tanquam tacita quædam lex, cui auctoritatem præstat non Principis alicujus, sed Principum Principis nutus, voluntas, jussio, nunquam sine sensu imminentis pœnæ, adeoque nunquam sine terrore animis humanis obversatura. At, inquis, quæ est apud homines Numinis divini oblivio & incuria, nihil certi aut firmi ex philosophia civili in vitam redundabit, nisi sapienter repertis dictisque terror legis pondus adjiciat. Fatendum est, vulgus hominum ita natum esse, ut non pudore, sed metu regi velit; sed aliud est, de disciplina juris loqui, aliud de ipso jure: aliud, de modo regendi civitatem extrinseco; aliud de fide & ratione juris interna. Male autem collegeris: Lex civilis vim minitatur, lex naturæ non eandem minitatur inobedientibus; igitur lex civilis firma & certa, lex naturæ fluxa, incerta, vaga haberi debet. Eadem enim ratione totam virtutem & honestatem spreveris, ad quam boni tantum sponte, ceteri metu pœnarum spectant. Viris doctis solenne est ita discriminare, ut philosophiam volentes docere, jurisprudentiam invitos cogere dicant, cumque jurisprudentia absolute virum bonum facere nequeat, Ethicæ & Theologiæ id mune-

vid. Gryphiandr. œconom. legal. lib. 1. cap. 1. pag. 63.

muneris delegatur. Itaque etiam honeſtum & juſtum philoſophus habet naturale, perpetuum, unius generis, ut à conditu rerum homini eſt innatum: Jureconſulto honeſtum ſive juſtum civile, temporum, locorum, hominum varietate non eodem modo ſe habens proponitur. Hæc doctrina hactenus eruditis propria & conſueta fuit: antequam monſtra hæc & nova prodigia ex profundo ignorantiæ barathro emergerent, ac philoſophiæ omni philoſophisque fidem ſimul & uſum abrogatum irent, non ſine injuria divini numinis, cujus imperio & ſanctione totum jus naturæ ſuſtentatur. Quanto civilius ſenſit maximus Imperator, qui non rationis tantum naturalis præcipuum ubique momentum agnovit, ſed prudentium quoque virorum, etiam poëtarum auctoritatem in definiendis cauſſis adhibendam duxit. Sed à bonis & moribus & literis quantum ſit receſſum, comparatio hominum temporumque ultro declarat. Quin & illi, qui juris civilis Romani inveteratam late auctoritatem, multasque apud gentes receptam deprædicant, non aliam ejus rei potiorem adornant cauſſam, quàm quod jus Romanum inter omnium gentium leges maxime rationi & juri naturali conſentire, tum & æquitate naturali præpollere videatur. Ab his quantum diſcrepant, qui id contemnunt, ad cujus normam exigi civilis juris præſtantiam, ſumma plerumque ratio fuit? Iterum occurrunt, qui nobiliſſimam omnis juris partem infa-

Arth. Duck de auctorit. I.C. lib. I. c. 2. ſ. 5.

mare ſemel ſunt aggreſſi, & *non eodem modo definiri controverſias ab iis, qui juris naturalis peritiam profitentur, ſed diſcordes ſæpe de re una ſententias audiri*, conqueruntur. At longe major querela ſemper fuit de diverſis juris civilis interpretationibus, de Jureconſultorum in reſpondendo & conſulendo non diverſis modo, ſed contrariis ſententiis: nemo tamen tam importunus diſputator prodiit, ut contemnendam eſſe juriſprudentiam hinc conficere cuperet. Sed injurias iſtas & convitia, quæ ad decipiendos imperitæ ætatis animos, ad perdendas ſolidæ eruditionis reliquias, ad infirmandum robur totius etiam civilis juriſprudentiæ, ad abolendam venerandæ vetuſtatis ſapientiam, & conſecrandam Divam Barbariem pertinent, decora ingenia, eâ, quæ bonam cauſſam decet, & diligentia & fiducia, detectis etiam evulgatisque malarum quæ ſubſunt artium machinamentis, in tempore ulciſcentur atque profligabunt.

Interea ſolari rectiora ſentientes poterit ſummorum hodie in omni Europa virorum auctoritas, & optimum quod de Grotiano hoc opere faciunt judicium. In plerisque, inquam, Aulis & Curiis numeramus viros dignatione generis, munerum, meritorumque, inter præſidia & ornamenta ſæculi prædicandos, qui hujus operis abſtruſas opes familiariter norunt, ejusque doctrinas non capiunt modo, ſed, ubi res poſcit, inter inſtrumenta tractandæ reipublicæ expediunt: deni-

denique obtrectatores tam bonarum rerum, in bonis viris, certe in doctis nunquam habendos esse arbitrantur. Altius philosophandum est. In Germania nostra Serenissimus Princeps Elector, cujus ad reipublicæ commoda domi forisq; vigil excubat oculus, neq; infra ullius ævi exempla consistere animadvertitur prudentia, & literis interioribus, & usu rerum, & animi heroici altitudine in immensum cumulata, publice in sua Academia Archipalatina erudiendis ad amplioris fortunæ cultum ingeniis, recitari explicarique jussit, electum è multis opus Grotii, de quo loquimur. Eritque in posterum tam cordati consilii ratio, inter documenta nemini detrectanda, quotiens qua eundum sit, non qua itur, in disceptationē veniet, vulgarisq; & imperitiæ & impudentiæ decreta, decori & usui patriæ cedere jubebuntur. Quanquam vel solum illud nomen, quod sibi, ut illustrissimum principium, hæc commentatio præscripsit, in pudorem dare potest, quicunque non depuduerunt. Ubi autem à magnis istis & ad suæ posteræque ætatis decus editis nominibus, primæque sortis ingeniis discesserimus, non inficias ibimus, paucos esse, si *de interiore notitia operis* agendum sit, oppido paucos, hoc nomine æstimandos. Quis miretur, qui sciat, quàm sit rara & prope insolita bonorum scriptorum, totiusq; antiquitatis, unde hoc opus concinnatum est, vel tralatitia tractatio? Accedit: quod non ex eo genere librorum est Gro-

tianum volumen, *quibus perfunctorie volutandis, aut vago discursu peragrandis* aliquis delectari juvarique possit. *Multo non studio modo, sed meditatione opus est ad condiscendam hanc disciplinam, nemini nisi penitius omnia edocto profuturam.* At, qui semel Grotium in ipso Grotio agnoverit, in sinu gaudebit, & gratulabitur sibi de arcano & habili instrumento, ac portatili bibliotheca; maximis quibusque rebus conficiendis opportuna. Non deficient eum rationes idoneæ, graves, unicæ, quotiens præcipua Pacis Bellique negotia disceptanda, interpretanda, illustranda sunt. Mirabuntur pondera rationum (scio hoc accidisse) qui non vident, unde proficiscantur; nec viderent forte, etiamsi officinam talium telorum nominares ac demonstrares. Mirabuntur, inquam, non enumerari auctores ingentium voluminum, non describi paginas, non comparari sententias, non extendi formulas & commentarios. Sed dum suas artes nuspiam agnoscent, non habebunt, quod valide opponant alienis, aut exprobrent.



In

PROLEGOMENA.

ET hactenus quidem de *inſcriptione operis*, & *aliis* quibusdam rebus, præſertim de *auxiliis* & *præſidiis*, quæGrotius ad ſcribendum ſibi adjumento fuiſſe ait,inPræfatione noſtra actum eſt : eo conſilio ut *prolegomena*, ſicut dictum eſt, amplius illuſtrarentur : quorum nunc ſummam deſignabimus. Ait Grotius: ſcripturo ſibi, *de jure naturæ & gentium*, argumento publicè utili, ante omnia conſtituendam eſſe illam quæſtionem : *An ſit aliquod tale jus? multos enim id negatum ire*, conſtat: quorum ut non ſimplex eſt ſententia, ita *ſingillatim confutandam* ſuſcepit Grotius : eademque opera, *originem ejus juris, & quemadmodum ac in quibus conſiſtat*, oſtendit. Dum enim declaratur vanitas rationis illius, *de naturali omnium animantium propenſione ad ſuas utilitates, omne jus, quod præter utilitatis illius rationem fingitur, extinguente* : ſimul demonſtratur origo juris naturalis *ex conditione humanæ naturæ*, à ceteris animantibus plurimum differentis, tum *ob ſocietatis ad humanum intellectum compoſita excellens ſtudium*, tum *ob judicium & dictamen rectæ rationis facienda & omittenda deſignantis* : quo accedit *reverentia inſita, & ſenſus divini Numinis*, non otioſe quid ſecundum aut contra jus naturale, tam ſocie-

tatis

tatis custodiæ, quàm regendis actionibus destinatum fiat, aspectantis; & *iterata juris naturæ promulgatio*, cum *disciplina sacrarum Literarum*. Qua occasione etiam *juris civilis & gentium juris*, à Carneade in divisione juris omissi, *origo* ob oculos ponitur, quasi in parte amplificationis. Continuatur deinde superioribus refutatio *illius sententiæ, quæ jus naturale, stultitiæ nomine infamat*; & alterius, *quæ jus omne à validioris arbitrio suspendit*; & tertiæ, *quæ privatis tantum non civitati jus convenire statuit*; & quartæ, *quæ pacis tantum, non belli jus esse contendit*. Refutatis ergo, quæ obstabant, cum simul probasset, esse aliquod jus naturæ & gentium, *suscepti hujus scriptiq; operis duas adfert causas*: primum ut *licentia bellandi apud Christianos certis limitibus coërceretur*; deinde; *ut specimen aliquod methodi accuratæ in parte jurisprudentiæ perpetuæ extaret*. Quo facto *διχονομίαν operis summatim per argumenta librorum singulorum* designat: *aliorumque circa hoc argumentum institutum cum suo comparat*. Hinc, *quibus præsidiis & auxiliis usus sit tum in argumentando, tum in testimoniis*, edisserit: e. g. ex *Philosophis* (ubi de *Aristotele* quædam inseruntur) ex *Historicis*, ex *Poetis* & *Oratoribus*; ex *libris S. Scripturæ*, ex *monumentis Ecclesiasticis*, *canonum Synodalium*, & *Patrum sive Doctorum*; ex *Scholasticis*; ex *Jureconsultis*, quorum diversas classes fecit. Sequitur *methodi explicatio*; tum *dicendi genus*. In fine morata clausula, *omnia censuræ aliorum submittit*.

Locus

Locus *Euripidis* ex *Helena* ſumtus eſt, ubi Helena non Theoclymenum, ut hic impreſſum eſt, ſed Theonoen virginem fatidicam ita compellat : v. 928. & 929.

Αἰσχρὸν, τὰ μὲν σε θεῖα πάντ' ἐξειδέναι,
Τά τ' ὄντα, καὶ μὴ, τὰ δὲ δίκαια μὴ εἰδέναι.

De *utilitate hujus argumenti*, cordatum eſt Seldeni judicium : *Naturalis juris peritiam, non minus, nec alio fere modo juris univerſi divini humanique, quod citra initia illa poſitivum eſt, atque morum ſcientiæ exactiori conducere, quàm ſapientiam quam appellitant primam ſeu Metaphyſicam reliquis Philoſophiæ membris, quæ ſua ex illa mutuo accipiunt principia : ſeu, quàm artes pure Mathematicas eis quæ ſunt mixtæ; aut Epochas in temporum motuumque ratione, inſequentium calculo. Neque abſonum eſt dicere, ab jure illo, cetera multifariam ſuperinducta, velut ſurculos per inſitionem accedentes, à trunco cui inſeruntur ſuſtentari alique.* In præfat. operis de I.N. & G.

Diſputatio Carneadis à *Lactantio* deſcribitur, cujus verbis hic utitur Grotius Cyrenaici quoque, auctorem Ariſtippum ſecuti apud *Laërtium* ſtatuunt, μηδέν τε εἶναι φύσει δίκαιον, ἢ καλὸν ἢ αἰσχρὸν ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει, *nihil natura eſſe juſtum, aut bonum, aut turpe, ſed lege & conſuetudine.* Cauſſam attulit Carneades eandem, quam Epicurus & qui eum ſequuntur, quibus lib.V. Inſtit.cap.16 lib.2 in Ariſtipp.

Non natura poteſt juſto ſecernere iniquum;
Sed utilitas juſti prope mater & æqui eſt aqud Horatiũ, unde *Grotius* illam ῥῆσιν per partes depromit. Pro qua ſententia multa affert *Petrus* Serm. l.I. ſat.3.

Gaſſen-

Gassendus in Philosophia Epicurea, ubi de justitia tractat, & ubi κυρίας δόξας Epicuri explicat. Sed idem hic accidit Epicureis, quod in disputatione de Voluptate, quam ultimum hominis bonum non recta via, & philosophorum stilo, sed per ambages, & propter necessitudinem quandam cum fine, & significatione vocis non communi aut usitata, adeoque Rhetorum more, denique conficere cupiunt. Ita etiam verum est, jus naturæ utilitatis omnium & singulorum fertile esse, & inter utilia re-
lib. 2. cap. 3. poni posse. Sed sicut *Cicero in Officiis* non semel monstrat, *quicquid honestum est, idem esse utile*, non tamen propterea honestatis & utilitatis rationem confundendam existimat: ita longe accuratius de juris omnis origine ita disputat, ut jus naturæ ab ipsa natura & ratio-
lib. 2. de invent. 22. ne, cetera jura ab utilitate arcessat. *Initium juris* (inquit) *ab natura ductum videtur: quadam autem ex utilitatis ratione aut perspicua nobis aut abscura in consuetudinem venisse: post autem approbata quadam, aut à consuetudine aut à vero utilia visa, legibus esse firmata. Ac natura quidem jus est quod nobis non opinio, sed quadam*
cap. 3. *innata vis afferat.* Et subinde: *Ejus initium est ab natura profectum: deinde quadam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt: postea res & ab natura profectas, & ab consuetudine probatas, legum metus & religio sanxit.* *Gassendus* autem dum pro Epicuro nititur, illuc descendit, ut tale nobis jus naturæ concinnet, quod non nisi definitione juris civilis comprehendi po-

di poteſt : nam de utilitate ita ratiocinatur, ſicut antea dictum eſt.

Ceterum ſententia Grotii *de origine juris naturalis*, quæ in his prolegomenis proponitur, divelli non debet aut mutilari. Ait enim: *Ex appetitu ſocietatis excellente, & judicio rectæ rationis naturæ humanæ convenientia aut repugnantia deſignantis, adeoque voluntate divina tum naturæ inſcripta, tum* (quod Chriſtiani jam melius ſciunt) *in decalogo repetita atque in ſcripturis abunde declarata, proficiſci jus naturæ ſive naturale.* Pleraque hæc ex *Cicerone*; Cicero potiſſimum ex Stoicis ſumſit: quanquam *Ariſtotelis* & *Platonis* non alia mens eſt. De ſingulis eſt aliquid dicendum. De *appetitu ſocietatis* primum. Quæri hic ſolet, *an naturalis ſit ille appetitus*: deinde, *qualis ſocietas intelligatur* ſive in communi ſive definite: *tum quæ capita juris naturalis inde oriantur.* In prima quæſtione *Hobbeſius* ſe oppoſuit, & monitus de errore, quo *hominem ad ſocietatem aptum natum negat*, levibus cauſſis interpoſitis pertendit: infantes, & indoctos, & damnorum ex defectu ſocietatis emergentium ignaros, non appetere aut curare ſocietatem. Quo genere argumentandi ſi utendum ſit, facile omnia homini detrahentur, quæcunque naturæ humanæ propria ſunt, & ſuo tempore demum, non ſtatim ut infans natus eſt, in actum prodeunt. Periculorum autem ſolitudinis ignoratio, quamvis in homine rationis uſu prædito daretur (quod nemo facile conceſſerit)

Elem. de civit c. 1. §. 2. &c.

rit) ingenitum tamen ſocietatis appetitum non extingueret. Jam quod *proprii commodi* aut *gloriæ* cauſſa homines ſociari velle, non naturæ inſtinctu, ait: partim ita explicat, ut vitioſum rationis uſum pro natura venditet; partim aliunde nec ſemper eodem modo accidentes ſtimulos ſocietatis, ad obſcurandum primum naturale incitamentum adhibet, neutra in re legum philoſophandi memor: & notatus jam à Cl. *Puſendorfio.*

Elem. I. univerſ. lib. 2. obſerv. 3. §. 4. & 5. Non autem qualemcunque ſocietatem natura hominum appetit, ſed *ſibi convenientem*, id eſt qualem ratio demonſtrat & commendat. Scilicet *ſocietas naturæ rationali conveniens eſt ſocietas ordinata*: *ordinata*, inquam, *rebus*, *perſonis*, *actionibus*, *ad honeſtatem & utilitatem.* Nam & brutæ animantes pleræque ad ſocietatem naturali inſtinctu feruntur: non ſemper ſine ordine, qui in apum examinibus admirabilis apparet. Sed ſocietas tamen illa ſic ordinata eſt, ut naturæ non-rationali convenire poſſit. In ſocietate hominum altius aſcendendum eſt, & quo ducit ratio, verum humanæ ſocietatis inſtrumentum: quod oratione, tanquam altero inſtrumento, in uſus

1. offic. 4. ſociales diſpenſatur. *Natura*, inquit Cicero, *vi rationis hominem conciliat homini*, *& ad orationis*, *& ad vitæ ſocietatem.* Addenda ſunt, quæ antecedunt & ſequuntur. Sed & juſtitiam omnem, adeoque etiam jus naturale, *ad communitatem & ſocietatem hominum*, in aureo *Officiorum* opere ſæpiſſime refert. Neque

que alia fuit Aristotelis sententia, qui *principio gravissimi operis* ita philosophatur, si sententiam ejus in unum collectam exhibere fas est : *Homini natura inesse appetitum societatis, non ut aliis plerisque animantibus, sed excellentem; neque cujuscunque societatis, sed rationi, qua praecellit ceteris homo, convenientis : id est, bene composita, rebusq; necessariis instructa. Quia enim solus ex animantibus homo justum ab injusto, utile à noxio discernere, idque discrimen oratione explicare potest : igitur ad defectum mutua indigentia, quam natura machinata est, explendum; modumque societati naturaliter expetita, qua humana sit & vere sociabilis, non belluina & dissociabilis, imponendum; jure ac ordine opus esse animadvertit. Id quod in singulis societatis generibus, si à primis & minimis usque ad perfectissimas & maximas progrediamur, obtinere intelligitur. Conjungi debent natura appetens, indigentia invitans, & justitia ordinans.* δικαιοσύνη γὰρ πολιτικὸν, *justitia vere socialis est.* Sive jure solo omnis societas constituitur atque continetur. Inter juris autem nomina, primum est jus naturae. *Primum est* (Ciceronis verba refero) *quod cernitur* in universi generis humani societate. *ejus autem vinculum est ratio & oratio : qua docendo, discendo, communicando, disceptando, judicando conciliat inter se homines,* conjungitque naturali quadam societate. Quae societas naturaliter ad perfectionem tendit : quam Philosophus à primis & simplicibus societatibus per incrementorum gradus ad

a Polit. 1. & 2.

Arist. 1. polit. 1. 2. & 3. 8.

a offic. 16.

civitatem deducit. Unde inter multas societates devenitur ad civitatem humani generis, & ad Dei regimen, â quo omnia proficiſcuntur, & ad quod omnia tendunt. Sicut enim civitatem unius populi aut imperii demonſtrat, commendat, ac pæne conſtituit natura; regit autem lex civilis ſive imperium humanum: ita civitatem humani generis demonſtrat, commendat, conſtituit, regitque lex naturæ, quæ eſt lex Dei, ut ſæpe dictum eſt. Nam ad ordinem ſocietatis, quam natura non niſi ordinatam appetit, pertinet imperium, res vere naturalis: ſine qua nec conjugalis, nec patria ſocietas, nedum alia major aut perfectior ſubſiſteret. Bene Cicero, ex Platone totam ſeriem hujus philoſophiæ complexus,
lib. 3. de ll. cap. 1. *Nihil*, inquit, *tam aptum eſt ad jus conditionemque naturæ, quàm imperium: ſine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria terraque*, & HOMINUM VITA JUSSIS SUPREMÆ LEGIS OBTEMPERAT. Male ergo Hobbeſius
Ele. de civ. cap. 1. &c. *ſtatum mere naturalem* nominat, & fingit: qualis non eſſet homine dignus, aut naturalis humanus, ſed belluis aptior, quarum natura rationem & orationem ignorat. Nam ut omnibus omnia liceat agere, appetere, poſſidere, nulla eſt ratio, nulla natura recte atque integre judicans, quæ dictet. Depravatæ naturæ (ea enim eſt, qualem nobis iſti de-
ſcri-

ſcribunt, & à Cicerone ſæpe vocatur) impetus ejusmodi eſſe poſſunt, non dictata rectæ rationis: quæ eo ipſo, quod ſocietatem appetit, ordinem ſocietatis appetit: qui licentiam ejuſcemodi motibus incompoſitis omnem præcludit. Ordo enim qui eſſe poteſt, niſi ad primum aliquod tendat? id primum eſt & ſummum, & omnia moderari aptum: id eſt, imperium ſive ſumma in ſocietate poteſtas; ſine cujus reſpectu, ſocietas nulla appetitur ab eo animante, quod rationis & orationis inſtrumento utitur. Huc usque progreditur natura: huc ſapientia veterum magna conſenſione fertur; ut imperium in omni ſocietate naturale eſſe, libertatem autem, quæ imperium omne aſpernaretur, cum natura pugnare demonſtrent. Ita in civili conſociatione ſive civitate, imperium à natura eſt, ut in omni ſocietate: an vero uni, aut pluribus id committi debeat, non definit natura, ſed temporibus locisque & utilitatibus cujusque civitatis conſtituendæ relinquit. Quare conciſe loquuntur, qui Reges à jure naturali deducunt, inter quos etiam *Vasquius* eſt. Ut imperium eſſet in ſocietate civili, natura præcepit: ut regium eſſet, ſuadere ſæpius natura potuit, quamquam non præciperet. Norunt enim eruditi, quid alterum altero interſit. Hic eſt ergo ſtatus vere naturalis, ſocietate ſcilicet ordinata & inſtructa, quo natura & ratio ducit: non autem bellum & diſſidiorum catena, quam nonnulli nectunt, depravatæ naturæ incon-

Contr. illuſtr. lib. 1. c. 1. ſ. 25.

inconditos motus pro dictamine naturæ rationalis temere arripientes. A quali statu, nec sociali, nec humano, adeo natura abhorret, ut nec brutorum animantium (congenerum dico) conditionem ad bellum potius, quàm pacem genuisse videatur. Homini autem pax proprie naturalis, bellum contra naturam est, nisi per modum subsidii ad pacem obtinendam per rationem temporis necessarii. Non credo quemquam futurum, qui de natura rationali, in tanta rerum studiorumq; luce ita velit ratiocinari, ut ex homine, etiam post peccatum in orbem inductum, & primævam sanctitatem amissam, plane velit bestiam facere. Quod rhetoricantibus in loco & tempore non inusitatum, à philosophi instituto plurimum devertit: magnasque heri & hodie turbas in republica & religione dedit. Loquimur de genere humano, inde à multiplicatione. Ubi, qui negat naturæ rationalis dictamen in iis, quæ diximus, aut cum depravatione consuetudinum, & inconditis motibus confundit, ipsi Deo sacrisque scripturis ingentem facit injuriam. Certum est & indubitatum, adhuc extare mentibus inscripta jura, de Deo non violando, de imperio non detrectando, de cæde, adulterio, furtis, aliisque, quæ alteri homini per injuriam nocent, vitandis: & tamen repertæ sunt totæ gentes, quæ latrocinari, homines occidere, adulteria committere, in licitis vindicarent. An hic quisquam tam ineptus erit, ut naturæ

potius

potius & rationis judicium in dubium vocare, quàm depravationi consuetudinum, ut Cicero loquitur, tum & pravæ educationi & longo usui talia malit attribuere? Non alienum erit, hoc loco annotare, quod vulgo, nec vane dicitur; jus naturæ non sufficere ad societatem civilem continendam, id nequaquam referri debere ad imperfectionem juris naturalis, vel qua jus est, vel quia naturale est: sed aliunde evenire. Scilicet, quia multitudo non ratione, sed impetu vivit, & libidinem pro ratione habet: id est, motus animi non ratione coërcet, sed contra naturam & rationem animum servire, appetitus dominari finit. Dictat interim ratio facienda, & monstrat vitanda: sed appetitus imperium rationis naturale præter naturam vincit ac subigit. Unde hoc tam frequenter & assidue fit? educationis & consuetudinis vitio. Dum enim non ea qua decebat diligentia homines assuefiunt, naturam sequi, & rationi auscultare: perverse vivendo agendoque, ad rationis imperium obsurdescunt, & amore rerum naturæ adversantium, ipsa consuetudine imbuuntur animi. Ita obscuratis & velut oppressis melioribus, deterioribus operam dari cernimus: nisi vis præsentior officii admoneat, pœnisque & minis efficiat, ne vincula consociationis naturalia, & jura communitatis violentur. Nulla hic imperfectio in jure naturæ. Nam & ea præcipit, quæ ad vitam bene beateque agendam sufficere possunt (nisi quis de variis

porro inde, propius remotius, deductis rationibus, ac civitatis tempori usuique accommodatis, sermonem nostræ sententiæ nihil obfuturum ordiatur) & gravissime sancit, quæ præceperat. An enim minor est auctoritas in divini numinis imperio, quo continetur jus naturæ, quàm in humano imperio, quo civitas regitur, an molliora jussa naturæ, id est, Dei, quàm potestatis humanæ? an pœnæ tolerabiliores, quas Deus in lege naturæ minatur, quàm quas potestas humana lege civili sancit? at pœnæ, quæ divinitus imminent, non vitam, corpus, fortunas, & quicquid supplicia humana intra certum & plerumque brevem temporis terminum contingere possunt, afficiunt tantum, sed animis insuper & in perpetuum minantur. Quod nec ethnicos latuit. Unde apud *Platonem* pœnæ eorum, qui jus naturæ violassent, per singula capita enumerantur apud inferos. Quem locum etiam in *Æneidem* suam transtulit *Virgilius*: ut conficeretur caput & summa philosophiæ hujus:

lib. 10. de Rep.

lib. 6.

Discite justitiam moniti, & non temnere divos.

Numinis enim divini contemptus omnem juris omnis disciplinam evertit & prosternit. Cur ergo magis homines humanam vindictam metuunt, quàm divini numinis iram, tanto graviorem? Eadem caussa, quam dixi, facit, ut animi, non in longitudinem consulentes, sed præsentibus tantum intenti, quæ consecutura sunt, licet longe majora, suo pre-

tio

tio non taxare; verum quicquid ex propinquo imminet, magis metuendum credere assuescant: & ab eo, quod natura non depravata, i. e. recte atq; integre judicans suppeditat, veluti non sentientes abducantur. Reviviscit tamen, non levibus momentis judicii sanioris, religio in animis: & reverentiam metumque Dei memoris fandi atque nefandi suscitat. Quæ res enim alia efficit, ut fœdera & jusjurandum servent, qui nullam vim humanam formidant? an metus infamiæ apud homines? at hunc declinare aut sanare, ac innoxium reddere non debilibus remediis possent. Ita reditur ad sensum metumque divinæ vindictæ sive juris naturalis, quod sanctione pœnæ divinitus imminentis constat. Atque hic ἀποδικασμὸς & suprema certaque Numinis supremi vindicta, ac judicium, Tragicorum philosophiam contexuit ac implevit. Qui in eo toti sunt, ut ostendant, ea, quæ in jura naturæ peccantur, etiamsi humanum judicium effugiant, divinitus certo & graviter vindicari. Hinc illi loci huic argumento proprii; *magnis sceleribus jura naturæ interire*, quod M. Contr. I. *Seneca* extulit; Dei vindicem esse oculum, & 7. in omnia delicta vigilem; quod *Hierocles* in In Pythag. dogmatis formam retulit: ὁ Θεὸς νομοθέτης ὢν ἅμα καὶ δικαστὴς τίθεται μὲν τὰ ἀγαθὰ, ἀναιρεῖ δὲ κακὰ· διὸ καὶ πάντη κακῶν ἐστιν ἀναίτιος· τοὺς δὲ κακυνθέντας αὐτεξουσίαις ὁρμαῖς καὶ τὸν ἐν αὐτοῖς ὀρθὸν λόγον ἀμνημονήσαντας, ὡς μὲν κακοὺς κολάζει κατὰ τὸν νόμον τὸν ἀπαγορεύοντα τὰ κακά· ὡς δὲ ἀνθρώπους, τῇ

ἐπισιούσῃ ἐπιπλοκῇ τοῦ νόμου πρὸς τὴν προαίρεσιν, ἣν δὴ τύχην καλοῦμεν. *Deus cum & legislator & judex sit, bona quidem constituit & fovet, mala autem tollit perditque. Quare nec ullo modo malorum causa est. Qui autem suopte motu ductuque mali facti sunt, rectamque, quæ in ipsis erat, rationem oblivioni tradiderunt, tanquam improbos quidem punit ex lege mala vetante; tanquam homines autem, propter accedentem ad voluntatem legis nexum, quod ad fortunam solemus referre.* Talia sunt de talione fatali: sua in quemque exempla recidere, ut apud Poëtam:

Ovid. metamorph. 13. *En eget auxilio, qui non tulit: utque reliquit,*
Sic linquendus erat, legem sibi dixerat ipse:

De sera numin. vind. Tarditatem pœnæ gravitate supplicii compensari: quod *Plutarchus* notissimo libello exequitur. Et quæ sunt hujus generis. Certe qui in considerando jure naturæ huc non respicit, aut jus naturæ inter homines fastu & imperitia disputandi obliteratum cupit, is societatis inter Deum & homines prima elementa tollit, id est, omnem civilem in disputando locum corrumpit ac depravat. Qualis sit societas, quam natura hominum appetit, paulo fusius declaravimus: quamque naturalis ille appetitus sit, antea breviter ostenderamus. Nisi quod addi *Ciceronis* demonstratio debet, ex *libri I. officiorum fine.* Ubi, cum disseruisset, quàm consociatio hominum atque cap. 44. communitas naturæ apta esset, addit: *Nec verum est, quod dicitur à quibusdam, propter necessitatem vitæ, quod ea, quæ natura desideraret,*

con-

consequi sine aliis atque efficere non possemus, idcirco istam esse cum hominibus communitatem atque societatem. Quod si omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut ajunt, suppeditarentur: tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione & scientia collocaret. Non est ita. *Nam & solitudinem fugeret, & socium studii quæreret, tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere.* Atque iterum: *Magis est secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut juvandis maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum memor in concilio cœlestium collocavit, quam vivere in solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis; ut excellas etiam pulcritudine & viribus. Quocirca optimo quisque & splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit.* Hanc ergo societatis custodiam sive appetitum societatis ordinatæ instructæque naturalem, recte & merito Grotius juris naturalis originem, fontem, principium fecit, seu mavis, hoc juri naturali fundamentum substravit. Nam sicut ad talem societatem Deus homines condidit, natura instruxit, ratio deduxit, oratio copulavit: ita, si fingeretur status hominum extra societatem, ille nec humanus esset, nec naturalis, & sic omnis coaguli, ut omnis juris expers. *Capita* autem *juris naturalis* ex hac societatis custodia *Grotius* deducit illa: *abstinentiam* 3. Offic. 5.

alieni, *promissorum implendorum obligationem*, *damni culpa dati reparationem*, & *pœna inter homines meritum*. *Abstinentia alieni* conjunctam habet *lucri ex alieno restitutionem*. Qua de re tractatur *libro secundo* hujus operis, ita ut *primo* explicetur defensio sui rerumque suarum cap. I: *deinde* quid & *quomodo* & *quamdiu nostrum sit*; *quaque obligatio inde nascatur* usque ad cap. XI. postea de *promissis*, quo nomine etiam contractus & omne genus conventionum antiquis interdum significatur, disputatio suscipitur: ita ut primo agatur *de promissis communiter* cap. XI. 2. *de contractibus* cap. XII. 3. *de vinculo promissionum & contractuum*, *jurejurando* cap. XIII. 4. *de promissis*, *contractibus*, *jurejurando regum ac summarum potestatum* cap. XIV. 5. adeoque *de publicis conventionibus*, *fœderibus præsertim & sponsionibus* cap. XV. 6. denique *de interpretatione horum omnium*. Hæc ad *promissa* referuntur. Hinc ad tertium caput proceditur, quod est *damni culpa dati reparatio*: de qua agitur *cap. XVII. libri II.* Poterant, & fortasse debebant in hanc seriem necti, etiam quæ de *jure legationum*, & præsertim *sepultura* cap. XVIII. & XIX. habentur: sed de ea re suo loco. Superest *pœna inter homines meritum*: *quartum juris naturalis caput*, quod ex custodia societatis Grotius deduxit: de quo argumento disputatur *cap. XX. & XXI.* Quàm sit autem abstinentia alieni, naturalis, partim in præfatione tetigimus, partim infra explicabimus.

mus. Conjunxit eam erudite & commode, cum præcepto *de non nocendo*, sive *de damno alteri non dando*, *Cicero*: & luculente atque ita lib.3. cap. expoſuit in *Officiis*, ut non aliunde, quàm ex 5. & 6. ſocietatis cuſtodia à Deo inter homines inſtituta, & vere naturali, repeteret. Quæ diſputatio omnino legenda eſt: ut breviores hic eſſe poſſimus. Sed de ſingulis aliqua ſuo loco erunt annotanda. Atque hanc ſignificationem *juris proprie ſtricteque dicti* Grotius agnoſcit: quando ſcilicet defenduntur aut vindicantur, aut explentur, quæ cujusque ſunt, aut ei debentur, vel ex pactione, vel ex maleficio, vel ex lege. Eſſe autem *alteram*, ait, *ſignificationem juris ampliorem*, qua dicantur contra jus naturæ fieri, quæ etiam in aliis rebus judicio intellectus humani recte conformato repugnant: id quod exemplo diſpenſationis, ſecundum rationis dictamen κατ' ἀξίαν καὶ πρὸς χρείαν χρόνου καὶ βίου factæ illuſtrat. Hoc ſignificatu juris ampliore *Cicero in Officiis*, tum veterum alii, quos ſecutus eſt, & liberalitatem ejusq; bene diſpenſandæ ratiocinationem juſtitiæ partē faciunt; & honeſtum omne, ſive quatuor illas virtutes, in quas vim honeſti tribuerunt, & omnium aliarum virtutum nomina contribuerunt, ita ad naturam referunt, ut deſertionem officii contra naturam eſſe, juri naturæ adverſari, ſive officia jure naturæ, omnibus & ſingulis præcipi atque commendari, paſſim & graviter diſputent. Diverſæ illæ juris acceptiones ſicut confundi non debent, & interdum ut jus & apti-

aptitudo, (de quibus *cap*.1.lib.1.) distinguuntur: ita posterior significatio modo propius ad veri strictique juris naturam, pro materiæ ratione, accedit, modo minus longe ab eo, quod convenit, abest. Quæ discrimina subtilius exequi, in doctrina de officiis nec consultum erat, & naturæ jurisque vocabula, invitante rerum similitudine, permutare, aut liberalius adhibere, ratio magis & consilium, quàm figura & consuetudo videbatur. Manet interim firma ista regula & utilis; vitia contra naturam esse; ea, quæ non decent hominem, ut homo est, itemque ut est pars societatis, à natura vetari, sive à ratione naturali damnari, ideoque juris naturalis reverentiâ vitari debere. Ita fiet, ut bono veroque sensu, sequentes naturam ducem atque magistram (cujus præcepta & monita ut non unius per omnia generis sunt, ita nullum ex iis contemnendum est) non aberrent ab officiorum tramite, aut vitæ socialis ac hominibus dignæ probis rectisque rationibus. *Hobbesius* quoque cum legem naturæ unam fundamentalem posuisset, in reliquis inde derivatis, ad aliarum virtutum officia & præcepta descendit, sive ad laxiorem juris significationem, quam *Grotius* vocat, qui hîc ea juris stricte dicti nomine designavit, quæ justitiam proprie spectant. Prima Hobbesii lex naturæ specialis sive derivata, *jus in omnia non esse retinendum*, fonte non puro manat. Nam illud jus in omnia, quod nullum est, male posuerat, male explicaverat.

Sicut

Sicut suis locis ostendetur, & de reliquis enumeratis legibus dispicietur. Christianos non sinit hic dubios esse, lex moralis in Decalogo expressa, quæ est ipsa lex naturæ, ut supra dictum est: nec *Hobbesius* diffitetur, qui parum tamen memor est hujus contextus, cum *de obligatione in foro interno* disputat. Quia enim, ut recte Grotius pergit in origine juris naturalis explicanda, Deus est, qui per naturam loquitur, præcipit, jubet, vetatque; nec rationis tantum dictatu, sed tabulis insuper Decalogi, & interpretationibus passim in Scriptura Sacra propositis, in hoc negotio utitur: obligari Deo homines per jura naturæ, atque hinc effici, ut naturam juris & legis illa habeant, manifestum est. Quod nec Ethnicis ignotum fuit.

cap. 4.

cap. 3. 8. 27.

Sicut autem Cicero in disputatione de legibus, juris civilis naturam explicari satis non posse autumat, nisi à jure naturæ, & summa ac divina illa lege repetatur: ita Grotius ex ipso jure naturali & sociali, juris civilis originem erudite arcessit. Immerito reprehensus à Feldeno. Legem enim civilem per pactum sive συνθήκην plerique veterum explicant. Quod in populari republica clarius apparet, & magis proprie dicitur: in unius autem imperio, omnique adeo reipublicæ forma quomodo ista locutio accipi debeat, satis ipse ostendit *Grotius* II, 5, 17. Sed de origine imperii, & ea occasione, de legislatione civili, aliquid erit post-

postea dicendum. Ut & de Gentium jure: quod hic à Grotio subjicitur.

Ad intelligenda, quæ hic disputantur contra illos, qui stultitiam esse justitiam, & validioris tantum arbitrio definiri, neque civitati necessariam ducunt, omnino legenda sunt quæ apud *Platonem lib. I. & II. de Republica*, à Trasymacho & contra eum afferuntur. Fuit enim Platoni in primis constitutum, de jure & justitia, opiniones vulgi, & aliorum descriptiones, qui non recte integreque de rebus solent judicare, examinare, atque per has eruditas ambages ad veram sententiam contendere. Ita scilicet se habet τὸ συζητητικὸν τοῦ Σωκράτους. Idem *Plato lib. IX. de Rep.* tyrannorum miserias & tormenta, quorum Grotius mentionem facit, graphice describit: ex quo repetit *Tacitus VI. A. 6.*

Nullam communitatem sine jure conservari posse, Aristoteles, notante Grotio, latronum exemplo monstrat, & explicat *Cicero in Officiis*. 2.Offic.11.

Apophthegma & ratiocinatio Agesilai, justitiam fortitudini præferentis, exhibetur apud *Stobæum*. Serm.51.

Ad id, quod Grotius *de adjuvanda per hanc scriptionem jurisprudentia* ait, referendum est *Seldeni* judicium, quod supra attulimus. Annotat *Feldenus*: *Jurisperiti officium latius à Grotio extendi: id enim tantum in interpretatione legum subsistere; speculari autem jus naturæ ad scientiam legislatoriam pertinere, partemque Philo-* pag. 45.

Philosophia esse. Possit hæc sententia illustrari quodam modo, exemplo *Ciceronianæ disputationis de Legibus.* Id quidem certum est, non reperiri facile Jureconsultos, qui hoc argumentum serio & accurate sibi tranctandum sumant. Sed de nomine nihil attinet contendere. Et Jurisprudentia, suis finibus hæc prima fundamenta & communia elementa juris potest admetiri; non invidentibus gloriam rei bene gestæ, si placet, philosophis: & Philosophiæ jam olim divini humanique juris (de quo nunc agimus) intelligentiam magno consensu delegari consuevisse, satis constat. Cognatis disciplinis non deest ratio, qua unam sibi laudem, proposito non eodem, trahant. Summus certe Jurisconsultus, ut communiter eo nomine utimur, parum hic effecerit, nisi ab interiore philosophia omnia sua præsidia mutuaretur. Sed ut conjungantur illa studia, ex hodiernis moribus nulla spes est reliqua. Eleganti autem & pererudita appellatione *Jurisprudentiam naturalem & perpetuam* à civili distinxit Grotius: eaque re sudem in oculis indoctorum hominum fixit.

Sequitur in prolegomenis argumenti per singulos libros οἰκονομία, ab ipso, ut ferunt, Grotio tribus his etiam tabellis designata: quas subjicere voluimus.

In Tri-

In Tribus Libris Grotii de Jure Belli & Pacis sunt.

I. Prolegomena.

II. Ipsa tractatio

- *I. Generalis explicans*
  - *I. Voces,*
    - *Belli,*
    - *Juris*, Cap. I.
  - *II. Quaestionem, an bellum ullum sit justum*, Cap. II.
  - *III. Divisionem belli in*
    - *Privatum,*
    - *Publicum.*
- *II. Specialis, ubi exponitur*
  - *I. Quinam bellum gerant, h. e. Personae belligerantes sunt*
    - *I. Principales, quae gerunt bellum in sua re; in privato privatus; in publico potestas publica. Et ejusmodi personae sunt vel*
      - *Non subditae alteri, eaeque vel*
        - *Privatae. n. 2. & 3.*
        - *Publicae*
          - *1. Non Summae, ut Magistratus Minores.*
          - *2. Summae, ubi summi imperii explicatio n. 5. & seqq.* cap. III.
      - *Subditae alteri, ubi de bello Subditorum in Superiorem.* Cap. IV.
    - *II. Adjuvantes, quae aliis opem ferunt.*
    - *III. Instrumentales*, Cap. V.
  - *II. Quibus ex causis belligerandum. Vid. Tab. II.*
  - *III. Quid quantumque in bello liceat, seu Forma & Modus bellum gerendi finiendique. Vide Tab. III.*

II. Tab.

II. Tab.

In libro secundo considerantur causæ bellorum.
Bellum suscipitur ab iis, qui sunt

1. *Sui Juris, utpote qui suscepturi bellum*
 1. *Pro Se, considerant Causam, An sit*
  I. *Justa. Et sic dantur Actiones, ob injuriam*
   1. *Nondum factam, & petitur Cautio de non offendendo &c. Injuria nondum facta petit aut Corpus, aut Rem. Hic explicatur defensio*
    Privata
     Personarum
      Licita, n. 3.
      Illicita, n. 10. Cap. I.
     Rerum,
    Publica, n. 16.
   Factam, ut
    1. *Reparetur & resarciatur id*
     1. *Quod nostrum est, vel fuit, unde Vindicationes & Condictiones quædam. Ut hæc actio recte instituatur, sciendum*
      1. *Quæ vis proprietatis seu Dominii. Et quidem quod Dominium*
       1. *Incipiat*, G.
      2. *Quæ obligatio ex Dominio &c.* F.
     2. *Quod nobis debetur.* E.
    2. *Puniatur.* D.
  II. *Injusta & suasoria tantum &c.* C.
 2. *Pro aliis.* B.
2. *Positi in conditione parendi & sub alieno imperio.* A.

E. F. G.

1. *Incipiat*
   1. *Jure hominum Communi.* Cap. II.
   2. *Jure nostro proprio & singulari, scilicet Acquisitione.*
      1. *Originaria in*
         1. *Res*
            1. *Quæ nullius fuere.* Cap III.
            2. *Quæ derelicta sunt, omissa scilicet possessione.* Cap. IV.
         2. *Personas.* Cap. V.
      2. *Derivativa, seu Alienatione, quæ fit*
         1. *Facto hominis, ubi de Alienatione Imperii & Rerum Imperii.* Cap. VI.
         2. *Jure*
            1. *Naturali, idque*
               1. *Expletione Juris.*
               2. *Successione ab intestato.* Cap. VII.
            2. *Gentium Voluntario, ubi cavendi errores.* Cap. VIII.
            3. *Civili, ubi de Naufragiis. libr. 2. c. 7. n. 1.*
2. *Desinat: ubi notandum, quando Imperia & Dominia desinant.* Cap. IX.

2. *Quæ obligatio ex Dominio oriatur.* Cap. X.

2. *Quod nobis debetur.* *Persecutio ejus, quod nobis debetur, fundatur & deducitur ex Jure*
   1. *Naturali, per*
      1. *Pacta & Conventiones. Ubi spectanda Pactorum*
         1. *Vis.* K.
      2. *Maleficia.* I.
   2. *Gentium.* H.

A. B. C.

C. D. H. I. K.

1. *Vis considerata*
   1. *Absolute ex promisso*
      1. *Nudo.* Cap. XI.
      2. *Vestito*
         1. *Contractu.* Cap. XII.
         2. *Jurejurando.* Cap. XIII.
   2. *Cum respectu ad personas paciscentes, quarum præcipua summi Imperii compotes: spectaturque*
      1. *Generaliter, de eorum, qui summam potestatem habent promissis, Contractibus & Juramentis,* C. XIV.
      2. *Specialiter circa fœdera, à quibus distinguenda sponsiones,* C. XV.
2. *Interpretatio.* Cap. XVI.

2. *Maleficia seu damna injuriâ data.* C. XVII.

2. *Gentium, ut*
   Legationum Sanctitas. Cap. XVIII.
   Humatio Mortuorum. Cap. XIX.

2. *Puniatur: Pœna est vel*
   Primitiva. Cap. XX.
   Derivativa. Cap. XXI.

I. *Injusta & Suasoria tantum.* Cap. XXII.

II. *Dubia.* Cap. XXIII.

'. *Necessaria.* Cap. XXIV.

'ro *aliis.* Cap. XXV.

'iti *in Conditione parendi & sub alieno Imperio.* Cap. XXVI.

Tab. III.

Lib. III. tradit, quid quantumque in bello
seu formam modumque bellum gerendi, q

1. *Explicatur*
 1. *Nude ex Jure*
  Naturæ. Cap. I.
  Gentium in bello
   1. *Minus perfecto, ut Repressaliis, ubi pro deb*
   perantium tenentur res & actus Subditorum
   2. *Perfectiori, utpote indicto, in quo spectari opor*
   li solennis & justi
    1. *Naturam, & debita Requisita.* Cap. III.
    2. *Effectus, secundum*
     1. *Jus externum, ubi examinanda*
      1. *Nocumentum in*
       Homines. Cap. IV.
       Res. Cap. V.
      2. *Acquisitio*
       Stabilis, eaque
        1. *Particularis*
         Rerum. Cap. VI.
         Hominum. Cap. VII.
        2. *Universalis, hoc est*
         Imperii. Cap. VIII.
       Instabilis ob jus postliminii. Cap. IX.
     2. *Justitiam & alias virtutes in bello*
      1. *Injusto.* Cap. X.
      2. *Justo circa actiones*
       Publicas &c. N.
 2. *Ex antecedente promisso seu fide hostium.* M.
2. *Concluditur.* L.

icas, quæ fiunt circa
Hostes ubi spectatur
1. *Nocumentum in*
Homines. Cap. XI.
Res. Cap. XII.
2. *Acquisitio & possessio.*
1. *Moderanda*
Particulariter
1. *Rerum.* Cap. XIII.
2. *Hominum.* Cap. XIV.
Universaliter, hoc est Imperii. Cap. XV.
Restituenda. Cap. XVI.
ledios. Cap. XVII.
atas. Cap. XVIII.
antecedente promisso seu fide hostium inter se, de qua
1. *Generaliter.* Cap. XIX. *(tractatur*
2. *Specialiter.* *Quæ inter hostes conveniunt, constans*
Fide aut
Expressa, quæ est aut
Publica, aut
Summarum potestatum, quæ
Aut bello finem imponit, ubi spectantur
1. *Principalia, quæ bellum finiunt,*
Sive actu suo, ut pactiones. n.2.
Sive ex Consensu relato ad Casum
1. *Mere fortuitum.* T.
2. *Accessiones pactionum.* S.
Aut eo manente, vim habet in commercium
Inferiorum potestatum. Q. *(belli.* R.
Privata. P.
Tacita. O.

S. T.

1. *Mere fortuitum, quando res subiicitur sortis alea, i*
2. *Temperatum*
   1. *Aut viribus animi & corporis, in condicto cert ubi quærendum*
      1. *Quomodo bellum finiatur condicto certamin an id liceat?*
      2. *An pactum Regum populos hic obliget?*
      3. *Quis victor censendus?*
   2. *Arbitrio alterius, ita ut*
      1. *Vel alius aliquis, qui illi bello non est implic controversias dirimat*
         1. *Aut ut Conciliator tantum, & qui ali citur Mediator.*
         2. *Aut ut is, cujus dicto & pronuntiato j quo sive iniquo sit standum: Cum ergo compromisso ad arbitrium itur, circa promittentes & arbitros, in quos compr sum est, notanda sunt duo:*
            1. *Compromittentium obligatio, ut scilice & pareant pronunciato.*
            2. *Arbitri officium.*
      2. *Vel victoris arbitrio se permittat, & dicitu ditio aut*
         - *Pura, ubi observatur*
           1. *Vis puræ deditionis.*
           2. *Officium victoris in eos, qui sic se d*
         - *Conditionata.* Cap. XX.
2. *Accessiones Pactionum, quæ sunt*
   - *Obsides,*
   - *Pignora.*

L.O.P.Q.R.

Aut eo manente vim habet in Commerciis belli, ut sunt

1. *Induciæ.*
2. *Jus commercandi.* (XXI. Cap.
3. *Redemptio captivorum.*

Inferiorum potestatum. Cap. XXII.

Privata in bello. Cap. XXIII.

Tacita. Cap. XXIV.

Concluditur cum adhortatione ad fidem & pacem. Cap. XXV.

De præsidiis & auxiliis, abunde in *præfatione* diximus. Immiscentur & alia quædam, quæ suis locis, in ipso opere, non negligentur. Locus *Euripidis ex Phœnissis* totus inspiciendus est, ut intelligatur nobili exemplo, quod Poëtæ Tragici sæpe disputant: ea quæ justa sunt naturali lege, aut injusta; nemini obscura esse, qui vel mediocri usu rationis præditus sit. Controversia erat inter fratres de regno participando, ex pacto. Polynices ita agebat: Conveni cum fratre Eteocle, ut alternis vicibus, ille unum annum, ego deinde imperaremus, atque sic deinceps. Nunc postulo, ut expleto anno, vices mihi tradat; hoc natura dictat, æquum justumque esse, ut stetur pactis juratis. Verbis enim non armis veni repetitum jus meum. Si frater vi detinet, quod mihi debebatur, quid nisi vis superest ad jus meum consequendum? Quæ ipsa vis jam

appellationem juris ſortitur : *τῆς δίκης πειράσομαι δρᾶν.* Juſta enim vis, quæ neceſſaria. Teſtes dii invocantur : quod in jure naturæ tractando ſolenne eſt, eo ſenſu : quod lex naturæ præceptum divinum ſit, ejuſque violatoribus vindicta inde advocetur, ſive divinitas juris ſui (naturalis divini) vindex imploretur. Eteocles vero, fortitudinis, potentiæ, gloriæ, vana niſi jure fulciantur, nomina, obloquitur : veramque juris & honeſti, omnibuſque obviam ſpeciem, ad ea transfert, quæ nemo niſi perturbatione aliqua aut pravitate ductus probare poteſt. Tanta autem eſt vis & ſpecies juris naturalis, ut ſimplici & recta oratione, citra ambages, in omnium oculis luceat : cum ex diverſo, fucata eorum oratio, qui juris titulo injuſta adornare tendunt, aut juris naturalis regulis offucias conantur offundere, ne ſimplices quidem, non-depravatos tamen homines fallere poſſint. Quare chorus muliercularum, non ſapientia ſane, ſed probitate cenſendus, Polynicis cauſſam approbat iſtis verbis:

Ἐμοὶ μὲν, εἰ καὶ μὴ καθ' ἑλλήνων χθόνα
Τεθράμμεθ' ἀλλ' οὖν ξυνετά μοι δοκεῖ λέγειν.
Sane mihi, etſi terra non nos Græcia
Eduxit, optime videtur dicere.

Eteoclis autem *καλλωπισμοὺς* & ſpecioſius quàm verius jacta, tanquam juri adverſa damnat illa *ἐπικείοις*,

οὐκ εὖ λέγειν χρὴ μὴ 'πὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς.
οὐ γὰρ καλὸν τοῦτ' ἀλλὰ τῇ δίκῃ πικρόν.

Non

Non fas honesti nomen indere improbis
Rebus, vetante juris istud regula.

Et præcesserat jam Poëtæ philosophia, de simplici & omnium intelligentiæ exposita juris naturalis æquitate, in versibus, quos Grotius Latine convertit:

Ταῦτ' αὔθ' ἕκαστα, μᾶτερ, οὐχὶ περιπλοκὰς
λόγων ἀθροίσας εἶπον, ἀλλὰ καὶ σοφοῖς
καὶ τοῖσι φαύλοις ἔνδιχ' ὡς ἐμοὶ δοκεῖ.

Et illa:

ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ,
κοὐ ποικίλων δεῖτ' ἄνδιχ' ἑρμηνευμάτων.
ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν· ὁ δ' ἄδικος λόγος
Νοσῶν ἐν αὑτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν.
Est veritatis sermo simplex, nec fere
Interpretationibus multis eget,
Ipsa loquente re. Sed injusta artifex
Caussa, medelam verba nectit callida.

Quis enim non animadverteret vaga illa & generalia (*quod non omnibus eadem honesta sint atque turpia, quod verbo non redistinguantur illa, quod regni caussa jus violandum sit*) infirma esse remedia languentis caussæ. Nam & aliud genus honestorum est, de quo *Nepotis* etiam præfatio agit; quando scil. res ex sua natura mediæ ac indifferentes, in tempore & loco decori aut indecori speciem induunt; cum hic agatur de lege naturæ præcipiente impleri pacta, servari jusiurandum, qualia non aliter apud hos, aliter apud illos populos, sed ubiq; apud omnes, integra sanaque ratione utentes, eodem modo judicantur: quæ confusio, inter primas scele-

rum caussas adornari consuevit : & *legem tantæ auctoritatis , servari in minoribus , violari in maximis posse* , non rationis aut hominis recte ratiocinantis vox est , sed ambitionis , & animi præ inani appetitu potentiæ verum non pervidentis , improbum , & , *Ciceronis* quoque *in officiis* testimonio, naturæ ac rationi inimicum carmen est. Cujus elationis schema oratione absurda , sed ad animi corruptos depravatosque impetus opportuna , expressit Poëta , dum Eteoclem inducit , *vel in cœlo diis superis , vel apud Tartara diis inferis imperium ereptum sibi trahere optantem , si fieri posset.* Ubi erudite *Scholiastes Græcus* , sermonem immensæ ambitioni congruentem , & ad injustitiæ propositum aptum esse ; virumque describi injustum, & propterea ἀλόγιστον, quique non vereatur jus alterius sibi vindicare , annotat. Pertinet huc & ad omnem superiorem adversus Hobbesium disputationem perinsignis locus

lib. 1. cap. 3. *Aristotelis in Politicis:* δεῖ δὲ σκοπεῖν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσι μᾶλλον τὸ φύσει, καὶ μὴ ἐν τοῖς διεφθαρμένοις. διὸ καὶ τὸν βέλτιστα διακείμενον καὶ κατὰ σῶμα καὶ κατὰ ψυχὴν ἄνθρωπον θεωρητέον, ἐν ᾧ τοῦτο δῆλον. τῶν γὰρ μοχθηρῶν καὶ μοχθηρῶς ἐχόντων, δόξειεν ἂν ἄρχειν πολλάκις τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς, διὰ τὸ φαύλως καὶ παρὰ φύσιν ἔχειν. *Quando de natura rei quæritur , spectari hoc debet ex iis , quæ secundum naturam se habent , non ex corruptis. Igitur in homine id apparebit , ita considerato , ut optime tum animo tum corpore affectus est* : in quo scilicet animi imperium , corporis servitium obtinet. *At in pravis ac improbis videas , corpus plerumque imperare animo , eo quod male*

male & contra naturam sunt affecti. Quantum scilicet à natura, tantum à bono recessisse intelliguntur.

Cum Bodinum arguit Grotius, videtur politicæ unam consilii, de utilitate, quæstionem relinquete; justi autem honestique disputationem, adimere. Quod non est incaute accipiendum. Dabunt lucem, & Bodini Aristotelisque exemplum, & verba Grotii. Ait; *se in hoc opere justi injustique, ex natura scilicet & gentium jure, rationes indagasse; utilium tractatione ad Politicos remissa, quorum ea propria sit disquisitio: noluisseque adeo facere, quod Bodinus in Politicis fecerit, ut confunderet juris artem cum civili arte: quas Aristoteles distinctas esse, quantum ex Politicis ejus constat, voluerit.* Animadverto hic Grotium idem velle, quod voluit *Michael Piccartus*, quem fortasse secutus est, quando in commentario in Politica Aristotelis arguit. Bodinum eo nomine, quod Politicam & architectonicam scientiam de gradu & dignitate sua dejecerit, dum ad jus Romanum Gallicumque solum hanc doctrinam restringat. Sed opus est explicatione, aut valde vereor, ne alio hæc trahantur, quam quo tendere debent. Ponatur exemplum. de *magistratibus* agere, Politici est: & *Bodinus lib. III. c.* 3. de his agit, *sequente* autem, *quid quantumque à magistratibus majestati debeatur*, ostendere aggreditur. In hoc argumento, si jure civili vel Romano vel Gallico pro fundamento utatur, & ex certæ civitatis legibus de magistratibus universe decernat, ut plerum-

lib.4 pag.

que

que etiam hodie faciunt ſcriptores juris Publici, tum faciet id, quod Piccartus & Grotius reprehendunt. Politico enim domi naſcitur, quicquid de magiſtratuum natura, jure, conditione, utilitate cognoſcendum eſt. At, ſi his ex ſua copia inſtructis, exempla ad hanc aut illam partem argumenti repetat ex certæ & potiſſimum ſuæ civitatis legibus, indeque lucem ſuis doctrinis fœneretur, id vero eſt, quod laudi dandum judico, tantum abeſt, ut reprehendi jure cenſeam poſſe. Et quia Romanæ reipublicæ inſtituta multum & honeſtatis & prudentiæ præ ſe ferunt, nihil magis optaverim, quàm ex legibus ejus populi exempla diſputationibus politicis, ſed erudite, accommodari, Id quod facere non poteſt; nec poterit, qui methodum, de qua diximus, invertit, & politica argumenta ex legibus formare, non legum exempla rebus jam domeſtica copia proviſis exigendo adhibere inſtituit. Sed quis ſperet hujus eruditionis ſpecimina eo ſæculo, quo ullius argumenti politici interiorem & naturalem contextum reſcire tam diligenter & arroganter refugiunt, qui politicorum nomen, quaſi vulgi ſuffragio triumphatum ſibi mancipio trahunt. De cetero Politica doctrina nequaquam ſolis ſtat utilitatum quæſtionibus, juſti injuſtique rationibus neglectis, aut aliunde quaſi de mutuo ſumtis. Juris nomina ſunt, quæcunque ſummam poteſtatem in civitate conſtituunt: finis civitatis non honeſtate minus (tum quæ juris

juris est, tum quæ decori) quàm utilitate definitur: quæ undecunque eo pertinere debent, quatenus jus & fas est, adornantur. Sed juris perpetui ac naturalis momentis ita conferuntur ista, ut ne leges civiles quidem cujusque civitatis majus aliunde pondus habeant, quàm quia naturale est, sive juris naturalis dictatum est, obligari omnes cives pacto civitatis, aut præcepto summæ potestatis. Hinc intelligi possunt illæ veterum sententiæ: quando *Pythagora* apud *Photium* definitur φρόνησις ἕξις προαιρετικὴ τῆς ἐν τοῖς πρακτοῖς ὀρθότητος, *prudentia est habitus quo eligimus id quod in rebus actioni subjectis rectum probumque est*: quando *Eustratius* recensens τὰ τῆς πολιτικῆς πραγματείας κεφάλαια non omittit mentionem *justi & injusti*, περὶ δικαίων καὶ ἀδίκων, καὶ πρὸ πάντων περὶ ὁσιότητος καὶ τῆς εἰς θεὸν καὶ τὰ θεῖα τιμῆς; *& ante omnia sanctitatis & religionis cultusque Dei & rerum divinarum*: quando *Tacitus*, cujus judicium admiraturi erant, quicunque ante eum summi habebantur, si cum eo aut post eum vixissent, *prudentiâ honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discerni*, dixit; conjunctis quæ separari non possunt: quando ante Tacitum *Cicero* præivit hanc viam; *prudentia*, inquiens, *est locata in delectu bonorum & malorum*; quæ mox ad honesta & turpia refert: quando *Horatius* itidem conjungit, quæ divellere fas non est, in descriptione civilis prudentiæ Homeri,

Qui, quid sit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non
Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

In v | ad 6 Aris 101. | 4. A | 3. Of | 1. Ep

In

In Annotatis ad Prolegomena, selectas attulit auctoritates: nec aliud copiosius executus est, quàm de spe successus ex bona caussa. ubi adjicere potest qui volet notabilem locum *Isidori Pelusiotæ* I, 294.

In
LIB. I. CAP. I.
§. 1.

BEne observari debent illa verba, quibus *Grotius* dicit, *occasione bellici juris, quæcunque controversiæ incidunt superiorem non habentibus, tractari posse.* Spectantur enim illa omnia fere in pace & ad pacem civilem constituendam aut servandam pertinent: ut, dominium rerum, contractus, fœdera, pœnæ, & cetera: nec ad bellum, nisi quatenus vel violantur, vel impediuntur, referri solent. Sed concedere id oportet scriptoribus, ut suo quodam arbitrio titulum operis eligant, & ad eum partitionem ac seriem operis accommodent: sicut in *Præfatione* monuimus. Non est igitur magni facienda cavillatio Feldeni. In quo tamen refutando non opus habuit *Grasswinckelius* commune illud, *bellum pacis caussa geri,* negare.

Quomodo §. 2. *Status* actioni opponatur, explicavit ipse Grotius in *Annotatis.* Quod nec Feldenus attendit, cum *statum* aliter accipit: nec Grasswinckelius, qui *tempore* statum describit. Instantia Feldeni de *pugilibus &*

θηριομάχοις, confundit statum adventitium particularem, cum illo statu, qui vel est naturalis ex hypothesi, vel naturali subsidiarius, ut à *Cl. Pufendorfio* describitur. Merito alias profligantur, quæ hic de origine belli, contra historiam; & de hominibus natura servis in ferarum censum redigendis contra philosophiam adfert Feldenus. *Exempla quasi non dissolutæ societatis à Grafwinckelio* allata, ad rem non pertinent. An Aristotelis sententia de servis naturæ accusari debeat, an explicari, alio loco dispiciendum erit. Elem. I. u. lib. I. def. 3. §. 6. & 8.

Justitiam in definitione non includi à se *Grotius* ait: quod fecerat *Albericus Gentilis*, & ubertim explicaverat. De I. B. lib. I. c. 2.

A §. 3. *per totum caput*, *Juris* diversæ acceptiones afferuntur hac summa:

Jus tria significat:
- *I. Id quod est justum idque negante magis sensu quam aiente, ut jus sit id, quod injustum non est, injustum vero, quod naturæ societatis ratione utentium repugnat.*
- *II. Qualitatem personæ competentem ad aliquod juste habendum vel agendum.*
- *III. Legem, in latissima legis significatione, ita ut sit regula actuum moralium obligans ad id quod rectum est.*

Jus I. significatu est vel:
- *Rectorium.*
- *Æquatorium.*

Jus II.

Jus II. significatu Qualitas scilicet vel est

- *perfecta & dicitur* Facultas (*quam ICti nomine sui appellant*) *à Grotio dicitur jus proprie ac stricte dictum. Ubi observanda*
  - 1. *quæ sub* Facultate *contineantur, nempe*
    - *potestas*
      - *in se quæ dicitur* libertas,
      - *in alios, ut* Patria & Dominica.
    - *dominiũ*
      - *plenum,*
      - *minus plenum, ut* usufructus, jus pignoris.
    - *creditum.*
  - 2. *quod Facultas sit duplex,*
    - *vulgaris, scil. quæ usus particularis caussa comparata est.*
    - *Eminens quæ superior est jure vulgari, utpote communitati competens in partes & res partium boni publici caussa.*
- *minus perfecta & dicitur* Aptitudo.

Jus in

Jus in III. significatu pro lege est vel

- Naturale
- voluntarium seu constitutum
  - Humanum
    - *Jus gentium*
    - *Jus civile*
  - Divinum
    - universale datum humano generi
      1. mox post hom. conditum.
      2. In restauratione humani generis post diluvium.
      3. In sublimiori restauratione per Christum, ubi Sociniana Grotio familiaris hypothesis subest.
    - particulare datum uni populo.

Ceterum de homonymia Juris alii verbosius egerunt: & repetiit ex Scholasticis partim, partim ex vetere philosophia *Gassendus*; explicatis diligenter *Juris, injuriæ, justitiæ, justi, boni & æqui* vocabulis. *Hugo de Roy*, justum per synonyma tantum explicat: quorum quædam figura non carent. *Scholastici* ex significationibus *juris* variis præcipuas ducunt: *illam*, Philos. mor. de justit. lib. 1. tit. 1.

qua jus idem, quod justum est; & *alteram*, quando vocabulo juris facultas significatur aliquid agendi, habendi, obtinendi. Hæc facultas ipsis complectitur *jus in re*, & *jus ad rem*: Jus in re præcipue cernitur in *dominio*. *Dominium* faciunt vel *jurisdictionis*, vel *proprietatis*. Ad jus de *justo* sumptum referunt discrimen *juris*, *naturalis*, *gentium*, *civilis*, divinique & humani. Late de his post alios *Johannes de Dicastillo*. (de justit. & jur. lib. 2. tract. 1.) Ad §.3. *hujus capitis* non habuit aliud, quod diceret *Feldenus*, cum *à Grotio jus amicitiæ cum cetero jure confundi* ait. Quasi vero inter parentes & liberos, dominum & servos nullum aliud jus quàm amicitiæ intercederet. Illud dubitatione dignum erat: an in dividendo jure, sive potius justo explicando, aliquem usum habeant nomina juris *rectorii* & *æquatorii*. Extra societatem nullum esse hujus distinctionis usum, ipse Grotius indicat. In societate constituta, jus rectorium non videtur differre à facultate regendi. Aut, si in minoribus istis societatibus spectaretur, negaret (lib. 5. Eth. cap. 6.) *Aristoteles* esse justum inter patrem & liberos; dominum & servos. *Liberi* enim, inquit, *in potestate patris sunt, partes sunt parentum; & servus, possessio est. Jus autem ad æqualitatem tendit, vel qua κατ᾽ ἀναλογίαν, vel qua κατ᾽ ἀριθμὸν dicitur. Inter hos igitur non est κυρίως δίκαιον, justum proprie sic dictum, sed δίκαιον καθ᾽ ὁμοιότητα, justum per similitudinem quandam.* Sed ut à justo civili distinguit Aristoteles justum πολιτικὸν, δεσποτικὸν, οἰκονομικὸν, ita justum esse non negat.

negat. Atque ita etiam in civili societate *justum rectorium* dici potest de eo, quod rectoribus debetur, eo quod rectores sunt: & *justum aquatorium* id significare potest, quod æqualibus in societate ut æqualibus debetur. Licet enim jus rectorium videatur contineri facultate regendi civitatem sive potestate civili (ut infra Grotius innuit) adeoque ad secundam I, 3, 6. Juris significationem pertinere: consideratio tamen ita institui potest, ut primæ significationis Grotianæ ratio habeatur, &, præstinata præstitutaque facultate, sive jure imperantium & parentium, tamen quid ratione præcellentiæ, aut æqualitatis his illisve debeatur, disputatio suscipiatur. Est enim jus, quo facultatem significamus, quasi fundamentum ejus juris, quo justum, præsertim debitum, indicatur. Justum, ut cœpi dicere, vel debitum est, vel conveniens: quorum illud ad naturam juris magis proprie pertinet, hoc tamen in secundis sustinet illius dignitatem tituli. Unde Grotius *jus* hic describit, *quod injustum non est*: & *Cicero in officiis* omne *liberalitatis* genus, justitiæ contribuit: cum quædam beneficia debeantur quidem, plurima autem probabilem convenientiam, citra necessitatem, habeant. Atque huc pertinet, quod *Grotius* ipse alibi, *non sequi injustum*, ait, *ex* de satisf. *quavis negatione justi, etiam positis iisdem circum-* Chr. *stantiis: quemadmodum enim non sequitur, si li-* Socin. c. 5. *beralis Rex dicendus est, qui alicui mille talenta dederit, ideo si non dederit, illiberalem fore: ita*

non est perpetuum, ut id, quod juste fiat, non nisi injuste omittatur.

Ad secundam juris significationem explicandam *§. IV. & seqq.* pertinent, quae *Cl. Pufendorfius* attulit, quando *potestatem* & *jus* explicat. Et *potestatem* quidem ut eousque distingueret Grotius *à jure*, eo minus caussae habuit, quo magis promiscue utuntur his vocabulis scriptores, quos maxime sequitur. De illo κειῖμένω dispiciendum fuerit, cum perfecta facultas à minus perfecta, seu jus perfectum ab imperfecto sic distinguitur, ut *illius* violatio actionem in foro humano; *hujus*, non item pariat. Neque enim jus naturae, fori humani consuetudine & actionum formulis aestimandum est: & exempla longe amplius quàm eo gradu distant, quo ponuntur. Gratiam ab ingrato reposcendi jus perfectum natura dat: etiamsi complures gentes actionem eo nomine in foro suo denegaverint. Quis enim collocandi officii humanitatem cum reddendi officii necessitate comparare instituat?

Elem. I. V. lib. 1. def. 7. 5. def. 8. 5 def. 24. 1.

Ceterum *Facultatem* Grotius *§. VI.* novitate quadam pererudita & paene necessaria divisit in *Vulgarem*, & *Eminentem*: & utramque satis clare descripsit. Cumque *Facultatis* voce & *potestatem*, & *dominium* complexus sit: *Potestas eminens* nihil aliud est, quàm potestas civilis, seu summa civilis potestas, quae nonnullis imperiũ, aliis hodie majestas dicitur, cujus partes & naturam postea indagabit: *Dominium* autem *eminens* partem potestatis eminentis seu maje-

cap. 3. §. 6.

majestatis fecit, loco quem tetigimus. In quo discrepat ab iis, qui *dominii* voce, ut ante diximus, omnem summam potestatem civilem signare, & *dominium jurisdictionis* vocare solent. Et quoniam *dominii eminentis* appellationem primus induxit Grotius, & sæpius explicavit, non alienum ab instituto nostro fuerit, si dissertationem nostram paulo ampliorem hoc loco repetamus.

DE DOMINIO EMINENTE *DISQUISITIO.*

Dominium eminens sive supereminens inter Majestatis jura enumeravit Grotius, atque ita descripsit, ut mentem ejus satis queamus perspicere; quanquam loquendi ad hunc modum auctoritatem fecisse potius, quàm à veteribus accepisse censendus est. De I. B. & P. 1, 3, 6. Quem quidem facilius excusare debent, qui nunquam dubitarunt, pleraque civilis scientiæ argumenta repertis nuper vocabulis, aut aliter quàm antiqui solebant usurpatis eloqui. An autem fingi hoc à Grotio, recte existimet Clarissimus Feldenus, tum apparebit, si exquisiverimus, sitne dominium eminens peculiare Jus Majestatis à ceteris distinctum, an sub alio summæ potestatis jure contineatur, idemve cum eo

aut ejus pars sit. Ad solam enim summam potestatem referri neque dubitaverit quispiam, & descriptio Grotii satis ostendit.

Cui Dominium eminens est, *quod Civitas habet in Cives, & res Civium ad usum publicum.* Exercendum scilicet utilitatis publicæ caussa, ut jam dictum est; & ut compensatio fiat ei, cui ex hac caussa aliquid abest, ex communi; si
2.14,7. fieri potest, sicuti alibi supplet. In Regno igi-
3.20,7. tur Regis, in Aristocratia Optimatium, in populari Republica, populi, in mixto statu pro mixtionis formula, apud summam semper & ubique potestatem, quam vel unus vel plures divisim habent, hoc jus residebit. Ad ea autem jura, quæ unam Reipublicæ partem spectant, in quo genere sunt, bellum, fœdera, judicia, Magistratus, & similia, non posse referri Eminens Dominium, res ipsa docet in materia latius patente. Quod si ad ferendarum legum potestatem oculos retuleris, qua multa Veteres præsertim complecti & concludere solent, quæque ex sua indole per totum Reipublicæ corpus late pertinet, non absurda sane figura utetur, qui dixerit: Supremam potestatem tali in casu, singulorum bonis civium legem dicere; ut exempli ergo ita loquamur: accurate tamen loquendo hic actus non occupabitur in ferenda lege civili, sed exercebit jus ipsi potestati nomotheticæ æquævum, & ab ipsa natura imperio constituendo attributum. Suffraganturque hactenus Grotio, qui inter Jura Majestatis, seorsum

pote-

potestatem in possessiones & bona privatorum, numerant. Quod & *Arnisaus* in opere hujus argumenti fecit. Ea enim potestate, parum accurate plerumque explicatâ, sicut *dominium eminens* non expleri, ita partem ejus indubie constitui, arbitratur *Grotius*. Quem forte rectius aliquis opinetur facturum fuisse, si dominium eminens ad possessiones & bona tantum civium retulisset: gloriam nihilominus rei explanatius traditæ meriturus. Verum, ut ad personas quoque, & alia jura civium produceret, magna eum ratio permovere potuit; cum videret, quædam hujus generis aliis summi imperii juribus, neque recte neque subtiliter tribui posse; & minus philosopho dignum judicaret, imperii voce communiter defungi, ubi de partibus imperii in proprias appellationes discretis quæstio est. Sicut factitasse alios haud profecto paucos satis constat. A quibus si tu quæras, quo jure dicant ista fieri, quæ Grotius jure eminentis dominii definit; respondebunt utique jure & vigore summi imperii. Neque cum omnia conquireret, aliud, quod diceret, habuit Clarissimus *Feldenus*, quam hoc: *civem omnia Reipublicæ debentem etiam adigi à Magistratu* (ita cum vulgo de summa potestate, sive imperio loquitur) *tempore necessitatis posse, ut suum officium faciat; nec propterea necesse esse, aliquod dominium supereminens fingere.* At vero Rex, sæpe legem invitis fert; milites sæpe invitos conscribit; magistratus sæpe invitos constituit; tributa

De I. Majest. lib. 3. c. 1.

Ad Grot. l. B. 2. 14, 7. & 8.

 invi-

invitis sæpe indicit, atque in his omnibus, ut officium civitati debitum faciant, cives adigit; idque non necessitatis tantum tempore, quæ seorsum suo jure censetur, sed in perpetua & ordinaria administratione Reipublicæ (Platonis enim Rempublicam manet illa felicitas, ubi plerique sponte, ac suopte ingenio officium facient) neque tamen propterea, quod summa potestas hoc facit, nihil opus est exprimere, quæ pars summæ potestatis, de constituentibus eam, in illo vel isto genere versetur. Res tota interim è cubilibus suis in hunc modum evolvenda est. Summa potestas civitatem, & in ea, personas, res ac jura, actiones, moderatur, eo ordine ac dispositione, quam natura ipsa ad finem publicæ felicitatis obtinendum luculente præscripsit. In quo ordine id vel maxime est naturale in onerosis, ne qua pars ultra modum partis oneretur, sed civium quisque pro virili toleret, quæ civitatis usus postulat. Verum, ut est varia rerum civilium & sæpe anceps conditio, si summæ potestatis provisio ad finem illum superiorem via ordinaria explicari morali æstimatione nequit, tum natura ipsa non repugnat, quin fines inferiores superiori, quem summa potestas omittere non potest, obtemperent concedantque, non in infinitum tamen. Atque ita personis, rebus, actionibus civium sic contingit uti summam potestatem, intra certos tamen limites, sicut iis uti, alias nec moris, nec juris socialis ac æquabilis esset.

Sive quis hoc velit δίκαιόν τι πολιτικὸν sive τὸ ἐπιεικὲς imitatione Philosophi, appellare. Quod sicut in aliis rebus, ita in summæ potestatis jure explicando, natura in subsidium sui operis commenta videtur. Cujus & hæc industria est, ut in viam reducere, quicquid aliunde petitum est, & sarcire ac instaurare ordinem semel decretum contendat. Id quod in civili & morum genere, non minus quàm in cetera rerum universitate, apparet; quodque alibi vis insita & innata, hoc in sociali vita recta ratio, perpetuo naturalis ordinis conservandi studio, machinatur. Hinc probe intelligitur, *utilitatem publicam*, quæ subsidiaria ope Dominii eminentis explicatur, non illud significare, quod ad pleraque omnia civilia instituta pertinet: quid enim est, vel jure, vel more civili introductum, quin utilitati publicæ servire & dicatur & putetur? sed exquisitiori loquendi genere, ad necessitatis imperiosas rationes adstringi, sicut necessitas morali definitione ad finem consequendum, citra fucum & cavillationem, dirigitur. Multi erroris & infiniti flagitii fons est in republica, arctitectonicis istis, ut sic vocemus, appellationibus, res vel parvas, vel pravas præscribere. At Dominii Eminentis usum, magna & clara voce invocabit publicæ salutis expediendæ ratio: neque ultra, quàm opus est, producendum; & correctione ac compensatione, totius civitatis viribus facienda temperandum. Igitur ad jus Dominii Eminentis ex-

plicandum, non opus est *jura fisci* adhibere, aut de *patrimonio imperantium* disserere. Habent illa suum in Republica ordinem, sed loco distincto: qui cum hac materia confundi non debet. Atque, si licet in transitu hæc annotare, naturaliter debentur imperantibus, ut exempli gratia, Regibus stipendia: unde, Reipublicæ regendæ intenti suam fortunam honeste sustineant. Quæ nisi cives sponte conferant, exigi ab iis posse nemo dubitaverit, non quidem jure Eminentis Dominii, sed alio summi imperii nomine, quod ad tributa & exactiones merito reducitur. Ea origo prima patrimonio & fisco Principis. Neque huc pertinet, ut à nonnullis quidem adhibetur, illa disputatio: *an omnia sint Imperatoris*? Quasi vero vel eadem sit in hunc diem Imperatorum omnium potestas, eadem Imperii forma, vel ad angustias unius exempli, nec bene plerumque explicati, ipsa philosophia de juribus majestatis redigi debeat; quæ omni civitati perfectæ, sive Reipublicæ, & semper competunt. Itaque & Eminens dominium, si ulli, omni utique Reipublicæ convenit. In Imperio autem nostro Germanico, non nisi toti Imperio, id est, Imperatori & Ordinibus tribui posse, illustri exemplo postea noscitare licebit. *Dominium* autem *Universitatis*, non esse hujus loci, per se intelligi existimo. In Eminenti enim Dominio quæritur, non, quid summæ potestati liceat, in ea, quæ sunt universitatis; sed in ea, quæ in universitate singulis, ut singu-

v. Arnis. de I. Majest. 3. 1. 3. &c.

lis

lis partibus universitatis debentur vel assignantur. Nisi quod distinctius licet ista proponere. *Universitas* vel totam civitatem notat; & tum penes quem, aut penes quos est summa potestas, refert aut referunt quasi personam universitatis; atque ita non quæritur, quid per Eminens Dominium, civitati sive universitati in se, ut est totum, liceat: vel intelliguntur *universitatis* voce, collegia, societates, corpora alia, quæ sunt civitatis & majoris universitatis partes; ubi universitates ejusmodi, quantum ad quæstionem Dominii Eminentis, singulorum rationem induunt; neque ingrediuntur amplius disputationem de dominio universitatis, quomodo huc afferebatur. Non contendemus cum illis, qui ad hunc locum explicandum, *Dominium Jurisdictionis* protulerunt, (quod pro tota summa potestate civili sæpius sumi, ante dictum est: quamquam & angustiore sensu adstringitur) & copiosius conjunctis *protectionis*, *jurisdictionis*, *administrationis* vocabulis interpretati sunt. Si tamen in his quæstionibus fas est cum Philosopho ἀκριβολογεῖν, protectio ut bonorum, sic hominum, *defensione* civitatis continetur: quæ defensio adversus quasvis injurias aut vim, vel jurisdictione, id est, via juris & judiciorum in civitate; vel ubi judiciis locus non est, sive in civitate, sive adversus externos, armis seu tutela armata perficitur. Atque hæc sunt distincta summæ potestatis capita; nec idem notant, quod Eminens Dominium

vid. Arnis. de I. M. 3. 1. 4. &c.

minium

minium. *Administrationis* vox adeo late patet, ut in omnibus majestatis juribus illi locus esse possit: inprimis autem non demonstrat nobis illud singulare, quod hîc quæritur, sed potius abscondit. Et quomodo acciperent hoc loquendi genus, qui Regi nihil præter *administrationem* Reipublicæ ita relinquunt, ut omni potentiori imperio dominioque interim eum arceant? Quo sensu & alii sæpe, quæ alieno nomine aguntur, non proprio, *administrari*; curatoresque rei commissæ mandatæve; actores denique non auctores, *administratores* appellantur. Solent, qui in hac re declaranda versantur, *Senecam* auctorem laudare ejus distinctionis, qua Imperium à Dominio discernitur. Quam ille quidem verbosius explanat, certatim hactenus descriptam ex *VII. de Beneficiis*. *Jure civili* (id est, ratione imperii, sive summæ potestatis, civilem societatem continentis) *omnia Regis sunt* (hoc enim exemplo utitur) *& tamen illa, quorum ad Regem pertinet universa possessio* (qui & personam Universitatis seu totius civitatis refert) *in singulos dominos descripta sunt, & unaquaque res habet possessorem suum. Ad Reges enim potestas omnium pertinet; ad singulos proprietas.* Et postea: *Omnia Rex imperio possidet, singuli dominio.* Et: *Cæsar omnia habet, fiscus tantum privata & sua: & universa in imperio ejus sunt, in patrimonio propria.* Attulerat exempli loco: *Fines Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distin-*

4. 5. 6.

distinguunt, & totus ager hujus aut illius Reipublicæ est: pars deinde suo domino quaque censetur. Facunde expressit, quomodo summa civilis potestas, ut in personas & actiones civium, ita in bona & possessiones agere possit, salua proprietate singulis dominis semel constituta & ad ordinem civilem relata. Sed hæc facultas latius explicatur circa bona & possessiones privatorum, quibus & onera quædam imponere, & leges ponere potest: etiam extra usum Eminentis Dominii, sicut à Grotio id descriptum est. A cujus mente, citra caussam, longe abierit, quicunque omne illud superius & architectonicum potestatis civilis jus, natasque inde varias ad finem civitatis & utilitatis publicæ conservationem dispositiones, supereminentis Dominii usu instituerit terminare. Simul illud intelligi datur, in jure supereminentis Dominii, non quamvis & communem ordinationem summæ potestatis animadverti; sed exerceri actus verissimo dominio debitos. Quod quia duplicari non debet, consentaneum rationi videtur dicere: civium dominium (non enim aliter quàm in societate civili considerare fas est) intelligi cum exceptione Dominii Eminentis, quam exceptionem, in ordine ad finem civitatis, certo rerum statu omnibus in partem civitatis venientibus, publica & summa ratio dictat. Neque ita metuendum est, ne privata dominia supereminente Dominio prorsus absorbeantur. quæ satis subsistunt scilicet, suumque jus tuentur, etiam-

etiamsi juri supremo, aliquando certos intra limites cedere jubeantur. De ipsa voce *Dominii*, cum, præter bona & possessiones, à *Grotio* ad alia producitur, non veremur, ne quis liticulam moveat. Satis enim auctoritatis est in exemplis veterum, dominos & dominia latius appellantium: neque juniores tam restricte semper loqui videmus, ut novitatem hic quisquam suspectare aut extimescere debeat. Ex iis, quæ vitandæ confusionis in ipso limine hactenus annotata sunt, abunde perspicitur: nihil minus, quàm de eminente dominio loqui, qui, *Principem cum alterius detrimento, sine justa caussa locupletiorem fieri suo jure posse, Cæsarem & Papam bona privatorum suo jure diripere posse*; impudentius an indoctius scribere

De Rep. 1, 8. ausi, merito à *Bodino* incusantur. Rapinis enim tyrannicis, nihil cum salubri publicæ ratione eminentis dominii esse commercii, jurisque appellationem non nisi per injuriam summam, talibus obduci facinoribus in aper-

De I. B. 3, 18, 7. to est. Nec omisit *Grotius*: dominii eminentis usum *in regimine non dominico, sed civili, & regio unice* spectari.

Enimvero exemplis ad philosophiæ regulam explicatis, res tota illustrabitur. Incipiemus à personis. ubi ardua quæstio, an deditio innocentis, unquam jure Supereminentis Dominii defendi possit? Quam quæstionem si quis potius ad aliud genus summi imperii, & ad judicia ac pœnas referendam existimet, illi cogitandum erit, esse locum huic dubita-

tioni

tioni, ubi nec ex parte dedentium, nec ex parte exposcentium, de pœna agitur. Ponitur casus illustris apud *Libanium*: *Tyrannus ex urbe propinqua postulavit formosum adolescentem, adjectis de bello inferendo, nisi traderetur, minis. Civitas bellum maluit tolerare, quam adolescentem tradere. Cum jam gravi obsidione eam premeret Tyrannus, pater adolescentis, interfectum filium de mœnibus projecit: cædis mox, soluta obsidione, accusatus.* Plura hic partitim quæri possunt: primum, an civitati vitandi belli causa dedere tyranni libidini hunc adolescentem licuisset? deinde, an procedente periculo, non jam belli, sed excidii vitãdi caussa id facere ea potuisset? Tertio: an civitati idem licuisset in adolescentem facere, quod pater fecit? Quarto: an pater rectius dedidisset eum, quàm interfecisset? Porro, an posita patris in filii, filii in suam vitam, potestate, adigi vel ad mortem, vel ad deditionem peragendam alteruter aut uterque potuisset? Denique an civitati vel tali vel ullo casu jus sit, probro & ludibrio unius aut plurium civium, salutem publicam redimere? Nam patris quidem, filii carissimi & volentis cæde, patriam liberaturi, defensio tota in locis æquitatis versatur: neque ut absolvat factum judex, sed ut ignoscat proposito auctoris, contendit. In qua multa præclare Orator posuit. *Civitatem* enim, *quo minus dedendum adolescentem putaret, reverentia deorum, fortisq; humana & naturalis honestatis, retentam* pronuntiat. Sed *ne tum quidem, cum excidium in*

tom. 1. declam. 27.

oculis esset, probro & infamia cariturum fuisse, si quod factum esset de dedendo adolescente decretum, ostendit: *ut in re communi hominum judicio damnata.* Huc enim pertinet, quod concionem reclamaturam tali decreto inducit: ὡς οὐκ ἔννομα ταῦτα, οὐδὲ εἰωθότα, *nec jure, nec more talia fieri. Civitatem adeo non honeste facturam, quod ipse fecit, præveniendumque tali facto civitatis pudorem fuisse*, disputat. Hæc valde honesta haberi par est: quæque eadem opera declarent, quam solicite, caute, honeste versari in ejusmodi necessitate expedienda civitatem deceat. Non tamen nihil in alteram partem dicitur de jure civitatis, quod Orator, ex præscripto artis, maluit dictioni causæ privatim contribuere, cum nuspiam fortius publica causa agatur. Quasi civilius ex ore miseri patris audiretur, quod civitas fortiter pro se vindicare solet: δεῖ γὰρ ἐπειδ᾽ χρεία ᾖ μὲν μὴ προσπεσεῖν ταύταις ἀνάγκαις, ἐπειδὰν δὲ ἔλθωσιν, μηδὲν ἀνώτερον τῆς πόλεως νομίζειν. *Optare quidem oportet, ne ejusmodi necessitates incidant: si tamen inciderent, primam civitatis rationem haberi par est.* Cujus hoc jus, mox sanctius adstruitur. Diis enim auctoribus tribuit jus illud σῶμα ἓν ὑπὲρ πόλεως ἀπιέναι: *Unum hominem pro civitate interire*: illustratque exemplo oraculi Pythii, quo responsum est, non desituram Athenis famem, donec civium aliquis prolem suam exitio offerret. Quod Leus fecit oblatis filiabus: quibus honoris caussa Λεωκόρειον templum extructum est. Sed videre hic quoque licet.

licet, quàm caute philosophentur antiqui. Nam *offertur à privatis, non exigitur à civitate, quod civitati debitum, divina auctoritas addita*, ut ethnicorum captus erat, demonstrabat. Atque hoc est illud in hac quæstione difficilimum sane: an, quia privati tenentur, salutem publicam suæ proponere, ad hoc faciendum, & quousque adigi queant? Coget summa potestas civem quemvis vi legislatoria, ad faciendum quicquid officium, aut virtus aliqua jubet. Sed hic aliud quæritur. An enim coget quoque summa potestas civem, ut faciat, quæ æterna honestatis ratio damnat? ut pudicitiam alienæ libidini exponat? ut ad nefaria ministeria se addicat? itaque *ad hoc, nec dedere potuit civitas adolescentem, nec deditionem ipsi patrique imperare.* An ergo mortem potuit sponte sumendam præcipere vel filio, vel patri? *Atqui & tyrannorum leges*, quos pœnæ titulo sublatos cupiunt, iis indulgere solent aliquando voluntariam mortem, non imperare. *Patrem vero ad occidendum filium adigere omnis humanitatis limites excedit. Quid? quod in vitam suam nemo tam plenum jus accepit, ut violentas ipse sibi manus afferre queat.* Et *in pudicitiam* quidem *ac honestatem civium civitas nullum jus, nisi ad tuendum habet.* Ut hæc salva cuique sint, civitates institutæ sunt. Itaque vel ad unius civis pudicitiam tuendam, bella pia & justa geri, nulla ætas dubitavit. Sicut *nec singulis civibus licet honestati sua vim facere. Ad quædam enim nulla debet ne-*

Controv. III, 17. *cessitas compellere*, ut recte *Varius Geminus* apud *M. Senecam* disputat. Cujus rei tantus est in animis recte institutis sensus, ut vitam potius projicerent, quàm eripi sibi pudorem multæ præclaræ fœminæ paterentur. Quanquam potuisset aliquando locum habere illud apud
I, 58. *Livium*: *Unde consilium absuerit, culpam abesse.* Sed metu tanti dedecoris, ad remedium ab homicidio in se, id est, à delicto petendum properantibus, *quis humanus affectus*, in-
De Civ. Dei, I, 16. quit *Augustinus*: *nolit ignoscere?* Magnarum consternationum hæc est indoles, ut non patiantur ad aliud hominem respicere, quàm quod tanta circumstantia animum occupavit, præsertim ubi urgentius malum est, quàm quod mitti in consilium cogitationem sinat. Quo fit, ut fugiendo periculum, quod terret; ruatur in periculum, quod præ terrore præ-
Controv. I, 8. IV, 16. sentiori, quale sit, non æstimatur. *Ille in nos dominatur affectus, qui animum primus intravit*, inquit *Seneca*. Et ab eadem mente *Curtius*: *Ubi intravit animos pavor, id solum metuunt, quod primum formidare cœperunt.* In vitam civium quod sit jus civitatis, seu summæ potestatis, non vage declarandum est. Esse igitur civitatem dominam vitæ necisque civium, ut veteres loquuntur, ex vi jurisdictionis sive potestatis judiciorum, controversia caret. Atque hoc jus nititur merito, & obligatione ad pœnam, neque aliter animo concipi potest. Alteram partem, jure belli contineri dixeris: quo ut civis vitam suam debere civitati propugnan-

pugnandæ, ita civitas, vita civium multorum uti posse, ad servandum totum corpus videtur. Sed hoc jus belli, in se & ex se apprime temperatur. Hic enim non eligitur vita, sed opera civium ad finem, quem dixi: & cum exitus fortuna moderante, undique incertus sit, non minus ad spem, quàm ad metum via patet. Id quod tot admirabiles & inopinati certaminum eventus abunde docent. Quod si quis dixerit; hunc numerum civium tradamus hosti ad cædem, ut reliqui vivant: nec pie nec honeste loqueretur. At enim hoc in bello fieri videmus? Videmus: sed aliquando male, nunquam autem licite, nisi sub illa destinatione & lege operæ ac spei, de qua mentionem intulimus. Atque ista quidem, unde fluant, ipsis vocabulis demonstratur. Quod vero ex jure Supereminentis Dominii distinctius appellato, civitas vitam civium innocentium, utilitatis publicæ caussa, destinato proposito queat perdere, id vero nec divinis nec humanis literis firmatur. Tractatus est hic locus in fabulis, modum philosophiæ caute custodientibus, quando de Iphigenia mactanda comminiscuntur. Primo enim, *à numine arcessitur*, ultra scilicet humanæ potestatis limites positum negotium. Et certe, si quod tale jus civitati unquam posset competere, vix est, ut humanam sapientiam liquido examine, momenta & rationes & tempora ejus ratiocinaturam credamus. In quo genere dubitationis, morali judicio, jus statuere quis

 potest?

potest? Deinde, *à læso numine repetitur origo rei*, & facinus patris mactatione filiæ ulturo: ut origo quæstionis ex vindicta & pœna surgere, & tum demum illuc pertinere intelligatur, si pro communi totius populi salute unum caput innocens recte immoletur. Sic quoque Supereminens jus civitatis seu populi refuga manu tractatur: dum & omnis rei expediendæ ratio *ad voluntatem* & electionem virginis, mortem pro civibus gloriosam optantis, apud *Euripidem* transfertur; (sicut apud *Libanium* Demosthenes se dedere volens inducitur) & *patronus ei datur* è principibus viris, Achilles, qui eam cædem verbis primo coarguit, mox manu impedit, sicut historia habet. Nam poëtæ ἀπὸ μηχανῆς solvunt negotium, & *Dianam* advocant, ad liberandam victimam, quæ ipsi destinata erat. Quibus ambagibus, potiorem tali jure clementiam etiam divino suffragio, non obscure signare videntur. Neque alio pertinet, quod *infinitam malorum seriem, ab Iphigeniæ decreta cæde*, tanquam ex fonte deducunt. Ex his, ni fallor, suppleri possunt, quæ de quæstione hujus generis *Grotius* disputat. Qui, cum deferi posse unum civem quamvis innocentem, ab hoste expostulatum, si civitas longe impar sit hostium viribus, pronunciasset: postea etiam illuc pervenit, an tradi in manus hostium civis innocens possit, ut vitetur imminens alioqui civitatis excidium. Non enim nihil pro *Vasquio* hactenus annotatum est. Quæ

Iphigen. in Aul.

Ap. Dictyn. Cretensi. lib. I.

De I. B. 2. 25, 3.

Cla-

Clarissimus Feldenus affert, ideo civem innocentem tradi non posse hosti postulanti, *quia servile sit partem suam teneri sine caussa ad ludibrium alteri præbere, cum libertas vita carior esse debeat, adeoque satius sit omnes mori, quàm in ludibrium aliis servire*: non pertingunt eo, quo conantur; sed nec sine figura stare possunt. Neque enim vera & accurata æstimatione libertas vitæ statim præponitur, sicut oratoria sententia fieri solet: neque civitati toti unius civis ludibrio servitus contracta censetur. Quis enim ferret ita loquentem in quæstione: utrum libertas civitatis an vita unius civis præferri debeat? Facile etiam apparet, quid de Mauregati Hispaniæ Regis pudenda pactione judicandum sit, cum quinquaginta nobiles puellas, & totidem plebeias Arabum libidini, veluti tributum annuum concessit: memorantibus Scriptoribus *Hispanicis*. Quamquam *Lucas Tudensis* in matrimonium datas esse Saracenis puellas ait. Sed sic quoque potestate imperii violentius uti videretur, qui puellas invitas in matrimonium invisum tradere, & Christianas Mahometanis jungere instituerct. Videatur *Mariana*. Unde lib. VII. non improbatur Catharinæ Sigismundi I. Poloniæ Regis filiæ factum, cum Moschorum tyranni conjugium, à Patre inter leges pacis promissum, aversata, Joanni Sueciæ postea Regi suam ætatem dicare maluit. Cui Ericus, Joannis frater, maritum parricidiali scelere adimere, ipsamque Moscho reddere in

matrimonium agitavit. *Gregor. Tholosan. de rep. XI, 1, 8. Thuan. lib. 43.*

pag. 526.

Deduxit nos hic locus ad pactiones bellicas, in quibus quædam non jure belli, sed hoc, quo de loquimur, supereminente videmus expediri. Quid enim aliud præstare potest, ut loco & caussa totius civitatis, pauci aliqui, iique inviti obsides dentur? Nam de volentibus minus difficultatis apparet. Obsidum autem primo quidem libertatem, deinde vitam, nunquam sola bona aut jura obligari, nisi disertis verbis aliud dictum fuerit, citra ambages intelligi potest. Illud enim in obligatione sumendum est, quod in mànu ejus est positum, aut quod consequi potest is cui obligari volumus. Bona autem & jura alterius, plerumque societate civili dissoluta, adipisci non licet. Vitam porro obsidum valide obligari, etiam cum nihil aliud dictum est, quàm illud, *hi sunto fidei pacta obsides*, non credo ullos apud populos dubitatum. Neque opus est, ut arcessamus hanc disputationem ab eo jure, quod quisque in vitam suam habeat, aut non habeat; & quomodo id à singulis ad civitatem traductum sit, ostendamus. Sola est, quæ rem conficit, ipsa actionis formula. Id enim actum censetur: *Nisi servaverimus, quæ convenere, tum violatæ fidei pœna ab obsidibus, quos dedimus, tanquam carissimam civitatis nostræ partem, expetere vobis jus fasque sit.* Atque ita accurate distingui debent ista: an civitas se, aut partem sui ad pœnam vel

quasi

quasi obligare possit? & an obligatio ad pœnam ex culpa totius civitatis, in paucos, & partem civitatis transferri possit? in qua posteriori quæstione præsertim illud animadvertendum est: quod obsides, delinquente civitate, non possunt non innocentes haberi. Hic ergo forte omnia rimantibus, nihil occurrerit rectius, quod dicatur, quàm hoc: Civitati obsides danti, propter firmum fidei servandæ propositum, illum eventum, quo obsides violari possent, morali æstimatione pro nullo esse. Qui si certus esset, aut probabili conjectura secuturus putaretur, dubium nullum est, quin talis obligatio obsidum innocentium pro culpa civitatis nocentis, illicita haberi deberet. Ita de obsidibus, sponte utriusque partis, & in pactione æquali datis acceptisque loquimur. Aliter judicandum est, cum is, qui bello superior est, aut victor, inter ceteras pacis aut deditionis leges, certum numerum obsidum imperat. Vel enim tum imminutio imperii facta est, ut jam nullus dominio eminenti locus sit; vel manente imperio necessitati paret civitas, non alio tamen proposito, quàm quod modo explicavimus. Idque eo magis procedit, quo honestius tractantur obsides, quandiu fides dantium non vacillat. Nulla enim fere gens est, quin in favorem obsidum, constante civitatis, unde traditi sunt, fide, aliqua vel more vel lege induxerit. Antiqua exempla nota sunt. In lege *Frisionum* honoratissimis personis æquiparantur. *Qui obsi-*

Confer cum tit. 20, tit. 17.

obsidem occiderit, novies eum componat. Sicut nimirum cædes legati Regis, aut Ducis, aut loco sancto facta, expiari solebat.

De traditione & cessione totarum provinciarum, regionum, urbium, una cum incolis, per pactionem, postea agetur. De incolis & civibus hoc tantum annotabimus: Partem civium invitam alienare, extra necessitatem, incivile & iniquum. Qui autem pactione bellica, haud sane lubens, sed necessitati obsecutus, suo jure in civium partem cedit, quatenus sine pacto alienationis id fieri nequit, Dominii Eminentis usu defendi potest, etiam adversum invitos. In qua tamen re gentibus plerisque placuisse videmus temperamentum liberæ demigrationis, quantum ad homines, peti fere concedique solitum. Id quod præsertim, ubi mutandæ religionis periculum subest, neque negligi, neque negari

I.B.2,6,4, & 3 20, 3 sine injuria potest. Quod autem hac occasione apud *Grotium* disputatur, & a *Clarissimo Feldeno* impugnatur; *partem civitatis plus habere juris ad alienationem sui, in summa necessitate, sine consensu civitatis; quàm civitas habet ad alienationem partis non consentientis*, id neque recipere sine commoda interpretatione licet, ut ex jam dictis animadverti potest, & declarari subtilius debet. Quando, exempli gratia, urbs aliqua ab hoste obsessa aut impugnata, ad extremum deditur in alienam fidem atque potestatem, atque adeo suo facto alienatur; sive desinit esse pars suæ civitatis, sit-

que

que pars alterius: non dubitandum eſt, quin obligata fuerit ſuæ civitatis corpori, ad reſiſtendum hoſti, & vitandum alienationem, donec ulla ſpes conſervandi ſe ſuaque repugnando, ſupereſſet. Sed hæc alienatio habet naturaliter terminum, quem dixi: ineſtque ei exceptio interitus ſive excidii. Ut enim interitum potius, quàm alienum imperium eligeret, illa obligatione nemo dixerit contineri. Procederet enim eo, quo procedi in ordine ciuili non debet. Itaque tali neceſſitati data alienatio, non ignoſcenda tantum, ut quidam putat, ſed juſta reputanda eſt, quod *Grotius* voluit. Sic civitas, quæ non eſt in patrimonio imperantium, obligata videtur ſingulis partibus, ne quam invitam alienet, ſed cum exceptione neceſſitatis ac Dominii Eminentis, quod absque neceſſitatis reſpectu hic non conſideratur. Quæ exceptiones tacitæ pars illius ipſius juris ſunt, de quo loquimur. Addenda ſunt his, quæ de captivis redimendis aut deſerendis dubitantur. 3, 21, 4.

Manere conſtituimus intra limites argumenti, atque adeo, quæ circa conſtitutionem ac deſtitutionem magiſtratuum, munerum, officiorum, curationum; circa honores & privilegia, vel ut varia diſpenſatione dantur, vel ut eripiuntur; circa alia ejusmodi perſonarum jura, aut munia, altiori videntur proviſu, aut manu potentiore expediri; ſuis locis concludenda, neque in alienos dominii eminentis fines cogenda arbitramur. Tali

enim commixtione, civili philoſophiæ, quæ viâ & ratione compoſita excoli deſiderat, parum conſuli videmus: in primis autem partitam probe de juribus majeſtatis diſciplinam denuo intricandam, & prætextu dominii eminentis involvendam neutiquam judicamus.

Perſonis proxima ſunt jura perſonarum & actiones inde enatæ. Ita liberum eſt cuique civi promittere, contrahere, jurare, quatenus nulla lex civilis poſita, modum aut impedimentum conſtituit. Videmus tamen, exigente publica utilitate (absque ea enim neceſſitate, ſervari talia in commune prodeſt) his, quæ ita acta ſunt, effectum adimi ex vi
I. B. 2, 35, 20. ſupereminentis dominii, ſicut *Grotius* monuit. Idem qui alibi quærit; *an fides privata*
3, 25, 5. *in bello propter vim eminentis dominii poſſit convaleſcere?* In reſponſione locum non ſemper habet, quod ait: pacta, quæ majus malum evitant, publice utilia haberi oportere. Eſto autem, ut hoc, æquitatis amore concedamus ſemper obſervandum (quanquam aliqua, quibus privati majus malum evitant, publice admodum noxia eſſe poſſunt) ipſa comparatio utilitatis non minimum in alteram partem momenti habebit. Fatebitur aliquis, promiſſa ſervari, publicæ utilitatis intereſſe, ordinario loquendi ſentiendique more. At vero extraordinaria utilitas publica, eaque neceſſitatis telis armata ſuadebit, ne ſumma poteſtas permittat fieri, quod privatim dictum, absque publi-

publico intertrimento effici nequit. Quod de legislatoria potestate & obligatione legum additur, commode, cauteque accipiendum est, sicut alibi ostenditur.

Et jura quidem, quæ in pœnam auferuntur personis, non attingimus: sunt enim alterius generis, cum hic tantum sermo sit de jure quæsito auferendo, publica necessitate expostulante, vi dominii eminentis. Atque huc referri solet, *revocatio beneficiorum Principalium, etiam quæ vim perfectæ donationis habent*: si publica salus exigat. Quanquam non parum plerumque dubitationis subest. Considerari enim ante omnia debet: *an Princeps beneficiorum largitor, jura habeat vere Regia, sive an vere præditus sit summa potestate, cujus solius actio hic spectatur.* Deinde, *de fisco ne suo largitus sit, an de regni bonis.* Ubi & illud satis apparet: *si fiscus Principis per calumniarum omne genus & rapinarum ditatus fuerit, amitti favorem donationis tanquam de proprio factæ.* Amplius attenditur, *vitio ne animi prodigi, an suffragationibus subdolis hominum, quibus facilitas Principum in quæstu est, tales donationes factæ sint; rationem habeant, an ratione careant.* Porro: *fiatne revocatio, per eundem, qui dedit* (quod rarius est, & cum aliqua labe conjunctum, si suam ipse manum, suum sigillum refutarit) *an per successorem, qui adversus Rempublicam tali decessorum facto obligari non videtur potuisse.* Solet & temperamentum quæri non simplex. Nam in quibusdam plane *circumven-*

Grot. 2, 14, 7.
2, 14, 13.

ventus Princeps tanquam meritis & merentibus donavit, quorum nulla prorſus ſunt merita. His ergo quo minus eripiantur, reique publicæ reddantur, quæ per obreptionem adepti ſunt, non longa videtur diſputatio, niſi quod vel numero, vel propinquitatibus talium hominum, effectu arduum fieri poteſt negotium. Tum vero uſitatius eſt, *ut pars aliqua liberalitatis penes poſſeſſores relinquatur.* Exempla ſunt nobilia in Principatu Galbæ & Baſilii Macedonis. Quorum ille, cum Nero bis & vicies millies ſeſtertium (ſive LV milliones, ut hodie loquuntur) *donationibus prodigis effudiſſet, appellari ſingulos juſſit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta,* atque hoc: *cuncta ſcrutantibus juſtiſſimum viſum eſſe*, Hiſtoricus ait, *inde repeti pecuniam, ubi inopiæ cauſſa erat*: hic, vacuatum profuſionibus Michaëlis deceſſoris ærarium ita ſupplendum ſtatuit; *ut ab iis, qui nulla probabili de cauſſa accepiſſent, repoſceretur pecunia, vel ſummæ dimidium ſaltem.* Ita quidem Zonaras. Sed *Conſtantinus Imperator in vita Baſilii* refert: *Conſiliarios una omnes voce ſuaſiſſe,* ἀυτὰς ἐκείνους τοὺς κακῶς, ταῦτα λαβόντας ἀντιςρέψαι πρὸς τὸ δημόσιον: *Ut illi ipſi, qui male iſta ceperant, ærario redderent, Baſilium autem ultra dimidium nihil exigere voluiſſe.* In Gallia ſub initia Caroli IX, cum deliberaretur de ære alieno ſub prioribus Regibus contracto, diſſoluendo, *non recuſabat Rex, & circa eum proceres, quin, ſi comperiatur nimiis donationibus & immenſis largitioni-*

Tac. I. H. 20.

Zon. tom. 3. cap. 231.

tionibus exhaustum ærarium; ad earum restitutionem, qui acceperunt, compellerentur. Sicut ex *Thuano* peras licet. lib. 28. p. 12.

Sed & in beneficiis ac privilegiis probabili ratione impetratis concessisque jus singulis quæsitum, sæpe interrumpi, nec nunquam tolli dominio eminente potest; non tantum ab auctore privilegiorum, sed & à successoribus. In qua re explicanda, non sine temeritate versatus est *Bodinus*: illuc tantum respiciens, 1. de rep. 8. quousque Princeps majorum aut suis legibus, sive etiam jurejurando suo obligari possit; Ac de jurejurando quidem summarum potestatum, cujus sanctissima est obligatio, dolendum, quod neque nostra ætate desint homines, qui dilutius, quàm uiros graves; & improbius, quàm Christianos decet, scriptitare non dubitarunt. Verum ista non sunt hujus loci. Privilegia cujuscunque generis concedere, operis nomothetici esse sciunt, qui veterum philosophiam sequuntur. Temporaria illa sint, an perpetua; præjudicent successoribus, nec ne; partim ex materia, partim ex conceptis verbis sive formula æstimandum. Sic nobilitatem familiæ, vel unius hominis insigni merito concessam, perennem esse, magna & publica ratio postulat. Neque unquam potest incidere tempus, quo nobilitate abrogata Reipublicæ opus sit. Nisi quod in pœnam summorum criminum quibusdam adimi potest. Sed, quæ nobilitatis honorem comitari solet, immunitas vectigalium, onerum-

rumve aliorum, auctoritatem Dominii Eminentis agnoſcat oportet: quæ legis opera vel interquieſcere jubeat, vel mutationem ſubire aliquam, cum temperamento ſcilicet, quod naturæ Dominii Eminentis ineſſe, amplius poſtea apparebit.

Liceat hic attingere illam quæſtionem. Si Rex aliquis creet, Comitem, Baronem, eique vi Comitatus aut Baronatus, tribuat jurisdictionem in ſubditos, aliaque jura cum hac clauſula, *ſalvo jure ſuperioritatis*, quomodo id accipiendum interpretandumque ſit? Non dubitaverim, ut nova voce *ſuperioritatis* hodie utuntur, Comitem illum, ſive Baronem, *Landſaſſium*, ſicut itidem nova appellatio obtinet, Regis deſignari, quem auctorem ſui honoris & juris agnoſcit. Eoque ipſo ſimul ſtabilitur Regi, qui non tantum nomine, ſed jure Regio eſt, etiam Dominium Eminens, non minus in Comitatu, aut Baronatu tali, ſi Reipublicæ neceſſitates huc vocent, quàm alios apud cives exercendum. Cum enim eximii ejusmodi honores videantur liberaliter interpretandi (conſtat quippe valuiſſe, nec immerito, adverſus dantem jura iſta magnifica, ſi non aliud dictum erat) opus eſſe cœpit clauſula ſalutari, quæ oſtenderet: honorari merita eximiorum virorum, ſed intra modum civilem, & ſine detrimento ſummæ poteſtatis: quæ ſe ipſa nunquam credenda eſt imminuere voluiſſe. Igitur, ſi dicendum, quod res eſt, non Dominii modo Eminentis

nentis exceptionem habere videtur illa formula, sed cavere in universum summæ potestati, ut talis, id est, summa sit, & maneat, neque suis ipsa beneficiis infirmari putetur.

Ponit *Grotius* in exemplis Dominii Eminentis, veritatem ad subditos occultatam: auctoritate *Platonis* usus, qui hac mente concesserit imperantibus falsum dicere; tum *Josephi commento* erga fratres; ubi & *Theodoretus* προσωπεῖον ἀρχικὸν in eo agnoscit, & *Salomonis judicio* inter mulieres. Et fatendum est sane, *Grotium* in disquirenda doli ac mendacii natura incomparabilem quandam industriam adhibuisse: atque hoc ipsum apposite ad suam disputationem animadvertisse, non esse pro dolo & mendacio habendam tam utilem publice ac privatim aut certe innoxiam veritatis dissimulationem. Sed qui illam philosophiam de dolo bono, ut nunc ita loquamur, tractant, ad ea & eos porrigunt sententiæ suæ explicationem, ubi ab ultima Dominii Eminentis ratione nullum quæritur auxilium. Neque ego profecto unquam suasor cuiquam extiterim, ut, non strenuum magis, quàm subsidiarium, & sancta religione septum conclusumque hoc remedium ad alia producat, quàm necesse est. Videndum ergo, an satis vere recteque ita dicam: summa potestate civitatem regentes, omnibus & singulis civibus ita obligati sunt, ad veritatem suorum consiliorum, propositorum, actionum, in Republica administranda, nude ac simpliciter, ubique & sem-

I. B. 3, 1, 15.

Personam imperatoriam.

ſemper enuntiandam, ut de his aliquid occultare aut tegere, niſi neceſſitas publica imperet, neutiquam illis liceat. Quicquid dubitabitur in hac oratione, id ſententiam Grotii non patietur in vado eſſe. Niſi quod in populari regimine, res expedita eſt. Cum enim ibi ſumma poteſtas penes ipſum totum populum ſit, ratio ſeparandi juris, quod actiones publicas ſpectat, quæcunque ponetur, commentitia erit. Etiam ſi populus, adminiſtrationem, non jus ſummæ poteſtatis cuidam parti civitatis committeret, niſi diſertis verbis conceſſum eſſet, celare quædam populum, nullus jam locus eſſet dominio eminenti, quod totius civitatis eſt in partes, non partis in civitatem.

Agunt quidem, ut hoc ſemel hac occaſione annotemus, etiam minores poteſtates & magiſtratus interdum quædam, quæ Dominio Eminenti tribuimus & tribuemus. Verum enimvero niſi mandatis eorum contineatur, merito audient : *neque imperatum tibi hoc eſt, & rationem facti apud ſummam poteſtatem reddes.* Finge, & abſolvi tale factum. Nullo merito cauſſam defenderis, ſed judicis æquitatem commemoraveris. Raro tamen ejusmodi dubitationibus locus relinquitur in accurata Reipublicæ tractandæ conſuetudine. Tam diſertis enim verbis, tanto futuri proviſu, tam excogitatis formulis iſta præſcribi ſolent præpoſitis rebus gerendis, ut, nec hærendum habeant, ubi uſus venerit, neque timere

mere possint, qui præter imperata & præscripta nihil fecerunt.

Progrediendum est ad ea, quæ in hoc argumento, ut sola, pluribus innotuerunt: Bona scilicet civium. Quanquam & misceri sive concurrere bona & jura sæpe videmus. Imo nullus de bonis civium sermo incipi potest, quin de jure circa bona illa aliquo singulorum civium, in quod summa potestas, ex usus publici necessitate succedit, agendum sit. Distinctioni tamen locus est, quia non in vicem commeant ista; juraque etiam alia, quàm bonis accommodata, noscuntur. Non abs re fuerit, si ordiamur ab historia vineæ Nabothi; ubi *Philippus Melanchthon* hanc format quæstionem: *Recte ne fecit Naboth, quod non cessit vineam Regi petenti, cum Reges etiam dicantur domini privatarum facultatum?* Respondet: *Distinctio dominiorum seu proprietas est juris gentium, vel, ut Philosophi loquuntur, juris naturalis. Hanc ergo conturbare, & aliena sine justa caussa rapere, non licuit Achabo.* Addit: *Nabothum nullo suo facto meruisse amittere suam libertatem, & cum ea, dominium rerum suarum. Quod enim alibi in jure Regio ponatur;* Agros vestros & vineas tollet, *id accipiendum de stipendiis & sumtibus in administratione Reipublicæ, ad communem necessitatem faciendis: non quod prætextu imperii Reges sint domini omnium privatarum facultatum, quanquam alibi laxior, alibi adstrictior, pro diversis regnorum formis, comperiatur libertas.* Transferre porro licebit hanc histo-

1. Reg. 21.

Epit. Phil. moral. pag. 248.

1. Sam. 8. 14.

 riam

riam ad rem noſtram. Si fuiſſet in vinea Nabothi adverſus imminentem hoſtem propugnaculum excitandum, ſi caſtra locanda; jure, de quo nunc agimus, ad hos uſus vineam potuiſſet poſtulare Rex, inita ratione repenſandi damni, de qua mox amplius. Nunc voluptati tantum & commoditati privatæ ſervientem, nullum jus tuetur. Et in Nabotho, nihil aliud quàm ruſticitatem accuſare, apud *Joſephum* audet Achabus. Uxoris quoque Jezabelis fatale ſcelus, ipſo molimine exitii in innocentem ſtructi, oſtendit, non potuiſſe vivo honeſte eripi optimo jure poſſeſſa. Ponemus exempla inſigniora. Sit urbs aliqua munienda: ut olim Athenæ; & breve quidem intra temporis ſpatium. Deſit autem materia & lapides. Sumi poterunt ex hortis aut prætoriis ſingulorum, ſub conditione compenſationis. Idem fieri poterit, ut horti, agri, ædificia ſingulorum, munimentis occupentur. Aut durante obſidione, ædes privatorum deiiciantur, ut ratio belli dictat. Sit in obſeſſa urbe fames: recludi poterit ſingulorum annona & deſcribi; & vel invitis dominis diſtributio æqualis fieri in omnes: venditio item imperari nolentibus. Sæviat bellum, deſit Principi aut Reipublicæ pecunia belli nervus, mutuari poterit etiam ab invitis civibus. Quod nec *Vaſquius* negat. Sit urbs aliqua confuſis ædificiis, nulla platearum amplitudine, aut diſtinctione: ſicut requirebat commoditas importandarum & exportandarum rerum, aut

lib. I. Antiq. cap. 7.

Corn. Nep. in Themiſt.

lib. I. cap. I. C. I. §. 7.

aut defensionis ratio adversum incendia & vim hostilem. Dirui videmus quasdam domos, ne ordini & dispositioni obstent : non sine compensatione tamen. Quam neque Nero, utut prodigus jam famæ ac pudoris, plane neglexit : quando post incendium (valde id quidem suspectum) melius & ordinatius extructæ domus sunt, *dimensis vicorum ordinibus, latis viarum spatiis, cohibita ædificiorum altitudine, patefactis areis, additis porticibus, quæ frontem insularum protegerent. Eas* enim *porticus Nero sua pecunia extructurum, areas dominis traditurum pollicitus est. Addidit præmia pro cujusque ordine, & rei familiaris copiis : finivitque tempus, intra quod effectis domibus aut insulis adipiscerentur.* Tac. 15. A. 43. Vias publicas sternentibus, aut munientibus, sicut usus civitatis postulat, occurrunt agri, prata, prædia privatorum. Hæc quoque vigor eminentis dominii pervadit. Redditis alibi, aut pensatis, quæ in publicum versa sunt. Augusto Romæ *fori exstruendi caussa fuit, hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere* : sed *fecit* hoc *forum angustius, non ausus extorquere possessoribus proximas domos.* Suet. Aug. 29. Id quod civilitatis nomine *Historicus* commendat. Id. c. 56. Quidni laudabimus hanc Augusti sententiam, cum ultra id, quod necesse erat, progredi noluit? Habent quidem isthæc talia suam latitudinem, neque in puncto semper finiri queunt. Optime autem utetur tam fortibus præsidiis, qui minimum sibi

 igno-

ignosci cupiet. Vix huc videtur pertinere illud ædificiorum & operum genus, quod *di-*
Ep. 10, 34. *gnitas civitatis, & nitor seculi postulat*, ut *Plinius* describit. Supereminentis enim domini præsidio, incolumitas potius & conservatio civitatis sustentatur, quàm amplitudo & splen-
Ep. 10, 50. dor exornatur. Si tamen, ut iterum *Plinius* loquitur, *quantum pulchritudinis, tantum utilitatis habitura* sunt ejusmodi opera, neque ratio publica nulla est, urbes quasdam prin-
Tac. l. A. 9 cipes esse *magnifico ornatu*: non erit nullus plane locus Dominio Eminenti, adversum κακοήθειαν refractariorum quorundam civium. Sed ne fortius, quàm par est, id juris usurpetur, vel fortuna, vel virtus imperantium providere solet. Modo enim genius seculi & affluentia, ultro talibus propositis conciliat civium animos: modo juncta compensationi humanitas ac persuasio demit, quicquid amari inesse potuit negotio. De cetero compescenda interdum est cupiditas animi in magna & sumtuosa proni.

Veniemus ad exemplum domesticum, quando pactione Osnabrugensi, difficilima deliberatio incidit, quomodo Regibus paciscentibus, Gallo, Sueco que locorum jure belli possessorum restituendorum nomine, satisfieret. Prima, quæ de cedendis quibusdam provinciis ac ditionibus ferebatur, vox, necessitatis publicæ jure, voluit exaudiri: neque tamen extra invidiam, & contradictionem fuit, inter illa sedulo tum disceptata: Quis aucto-

rem

rem se hujus rei facit, & quo jure? Qui, & quot subscribere tali sententiæ audent? Et quænam, de rebus ullius ex Ordinibus inviti, pactio esse potest? Donec multis ultro citroque dictis, tandem *Cæsarea majestas de consensu Electorum, Principum & Statuum Imperii, cumprimis Interessatorum, S. R. M. Regnoque Sueciæ concessit certas ditiones, pleno jure in perpetuum & immediatum Imperii feudum*; illis autem, qui jure suo in has ditiones cesserant, Principibus, *pro æquivalente recompensatione* (retinemus enim verba sanctionis pragmaticæ) pari modo & formula, tradidit alias ditiones, qui ita sibi satis factum declararunt. Eadem ratione Gallia ab *Imperatore & Imperio & Domo Austriaca*, alia, nexu feudali plane libera recepit. Qui rebus tractandis interfuerunt, sciunt, ista consultatione Supereminentis Dominii rationes probe excussas esse, in quantum scilicet Imperium Romanum, ut unam Rempublicam consideramus, in qua hoc jus Majestatis non nisi ab Imperatore & Imperio, sive Ordinibus simul exerceri potuit. Ad quæstiones autem consilii, magnas illas quidem & profundas, quæ tum in argumentum disputationis venerunt, circa negotium unis caussis, conditione diversa terminatum, nihil attinet sermonem proferre.

Instrum. Pacis Cæs. Suec. art. 10.

Instrum. Pacis Cæs. Gall.

An & exterorum bona ac jura Supereminenti Dominio subjici fas est? Negat *Grotius*. nisi quod supplendam censemus hanc sententiam, ex doctrina de subditis temporariis,

L. B. 2, 14, 8.

 quos

quos appellitant. Nihil enim verius videtur hoc dicto: Qui ex caussa temporaria agnoscere tenetur summam potestatem hujus aut illius civitatis, sive subditus temporarius factus est, ille non potest in tantum detrectare aut defugere auctoritatem Dominii Eminentis. Nec alio videntur fundamento niti Principes, qui bona exterorum in portubus suis deprehensa, necessitatibus Reipublicæ suæ accommodare, sub obligatione mutui, non sunt veriti. Anno superioris sæculi LXVIII. magna vis pecuniæ mercatorum Genuensium aliorumque Italorum, ex Hispania in portus Anglicos, persequentibus Gallis, delata erat. Quam cum Albanus, tanquam Hispanicam, falso vindicaret, Regina Elisabetha statuit fiduciaria cautione interposita, à mercatoribus mutuo sumere: *quod Principes de bonis in ipsorum portubus deprehensis assolent, & Hispanus ipse nuper factitarat.* Ita *Camdenus*. Cui *Meursium* addas licet in rebus *Belgicis*. Non dissimile est, quod *Camdenus* memorat de *pensitatione* Oresuntica (Lastgelt) *qua tricesima pars omnium mercium mutui nomine, ardente inter Suecum & Danum bello, exacta fuit, cum promisso, ut bello finito refunderetur.* Quin & privilegia exteris concessa, non obstare salutis publicæ vindiciis Regina Elisabetha judicavit; cum Hanseaticis privilegia obtendentibus responderet, de Holcadibus interceptis: *aliter se facere non potuisse, nisi perniciem sibi & suo populo sponte attrahere maluisset. Privilegia, quæ sunt*

part. 1. sub fin. an. 1568.

part. 3. anno 1582.

Camden. part 4. an. 1589.

ſunt leges privatæ, contra publicam ſalutem, quæ: Lex ſuprema, non aſſerenda. Verum hic magnopere cavendum, ne avaritiæ & injuriis obtentui ſint, publica juris nomina: probeque conſcientiam ſuam excutere debent Principes eorumque Amici, quo animo, qua neceſſitatis ratiocinatione, quo juſtitiæ propoſito, ad ea veniatur, quæ nemo facile ſponte eligat, ubi vitare licet. Hinc pleno laudatur ore Imperator Conſtantinus, ſive potius Antoninus, quod adverſus fiſcum ſuum, cujus utilitatibus animoſe alii velificantur, naufragos tueri ſtatuit, voce humanitatis pleniſſima uſus: *Quod enim jus habet fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur?* Non enim alias deerat maritimis civitatibus & inſulis *νόμ☉ θαλάσσης* ſive lex quædam nautica, quæ naufragorum bona fiſco per publicos ſervos vindicabat, ſicut diſcimus *ex l. ἀξίωσις ſeu deprecatio. 9. ff. de l. Rhod. de jact.* Quam quidem Antoninus, cum fiſcum ſuum ipſe ſeverius regeret, illis tamen adimere noluit, ex cauſſis, quas conjicit *Jac. Gothofredus nobili commentario ad illam legem.* Carolus autem V. Imp. & alii Principes, egregio temperamento jus Dominii Eminentis circa naufragia moderati ſunt: conſtituto certo tempore, exempli gratia, anno, intra quod mercatores & domini, ſua, probato dominio repetere poſſint; Nemine autem comparente tum demum fiſco cedant. Et quia, periculum aliquando eſt, ne merces corrumpantur, ſub haſta venditarum pretium

l. ſi quando. 1. Cod. de naufr. XI. 5.

Vid. Jac. Gothofr. ad h. l. ὑπόμνημα cap. præſertim II.

assservatur, vel domino, si compareat, vel fisco,
Ad Cod. lib. 11. tit. V. §. 29. post exactum tempus, sicut amplius refert *Antonius Perezius.* Mutuantur ex ratione Dominii Eminentis suam constitutionem Legumlatores, *qui naves à piratis captas, eorum faciunt, qui eas eripiunt piratis*, quales apud Hispanos & Venetos leges memorat *Grotius*; & defen-
I. B. 3, 9, 17. & not. dit: *Neque enim iniquum est*, inquit, *ut privata res publica utilitati cedat, præsertim in tanta recuperandi difficultate.*

Compensationem Dominio Eminenti naturalem, ut sic loquar, & intrinsecam haberi oportere, ex ante dictis intelligi potest. Sicut enim dominos rerum, quarum jactu navis levata est, æquissimum est, partem recuperare ab aliis, quorum res jactu servatæ sunt: ita, qui onere omnibus civibus debito onerati sunt, merito sublevantur à reliquis, quos in societatem ut effectus fructusque, ita oneris, ratio civilis ordinis vocat. Debetque hæc compensatio fieri usque ad partem, quam pro virili debebat contribuere in publicum nomen, qui totum onus sustinuit. In qua re fides civitatis ita sancte versari debet, ut, si hoc tempore forsitan impar huic præstationi civitas videbitur, in futurum obligata ad
I. B. 3. 20. 7. compensationem maneat. *Quandocunque enim copia suppetet, exseret sese quasi sopita obligatio*,
3, 20, 52. ut recte *Grotius* animadvertit. Ita in obsidibus quoque, *civitas aut ejus rector tenebitur illud incommodum, ei qui patitur, aut proximis repensare*, eodem annotante. Est tamen, ubi compensa-

pensatio, per rei naturam locum non habet. ut in cessis hosti provinciis. Ita caute *Grotius* 2.14.7. in explicando Dominio Eminente, compensationem requisivit ex communi faciendam ei, qui suum amisit, *si fieri potest*. Compensationem bene explicat *Vasquius C.I. lib.*1.*cap.*5. §.1. & 10.

Temperamento Dominii Eminentis intrinseco, de quo egimus, accedunt & alia; quæ regulis officii, æquitatis, prudentiæ, modestiæ debentur; quando vel exercetur hoc jus, vel de eo exercendo consultatur. Conscientia enim est, præsertim Christiano more erudita, quæ rectores civitatum eorumque consiliarios interpellat; ne abuti tam sancto salutis publicæ expediendæ remedio in animum inducant; ne præpropere, ne temere aut avide in hoc negotio versentur: ut cavillationibus eorum, qui ubique ad extraordinaria & subsidiaria, nec ordine, nec jure viam affectant, aures occludant: ut, quæ tractatu dura, à tractabilioribus probe distinguant: ut à dominationis herilis, de qua hic nihil agitur, propositis animum deflectant. Quamquam ne herili quidem imperio intentos ratio deficiet, quæ ad moderationem ducat. Prudentia autem etiam, ubi jus fundatum est, considerabit tempora, animos, fata; adeoque quid factum infectumque velit, eliget: nec in præsens modo rem conficere, sed in longinquum disponere cupiet. Modestiæ denique pulcherrimum opus in eo versabitur, si per-

suasisse magis quàm imperasse civibus, quæ dura sunt, videberis: si non verborum modo comitate, sed constanti fide civilem ac æquabilem animum iis, qui publico nomine jacturam faciunt, approbaveris. Omnino enim bona fide summa potestas, vel compensationem civibus, si non statim repræsentari potest, vel pactionem exteris, ad quam Dominii Eminentis ope profectum est, præstabit. Neque necessitatis imperio, cujus ad salutem expediendam valuit auctoritas, ad cavillanda, quæ acta sunt, utetur. Verissime enim hic locum habebit illud prisci Oratoris: *Non est vis, ubi aliquid expediendæ rei caussa patiendum est, sed ratio.* Redemerit aliquis bellum internecinum, pace, qua partem terrarum tradiderit. Idem scilicet fecerit, quod faciunt, qui partem corporis sui abscindunt, ut reliquum corpus servetur. Nec poterit causari vim sibi adhibitam à paciscente. *Non est enim*, inquit iterum Orator, *admovere vim, aliquid cum certa conditione promittere.* Quam nimirum eligis, ut rebus tuis utilem ac necessariam. Quæ præsidia publicæ fidei nisi summo studio conserventur, nulla poterit, procedente in infinitum calumnia, societas consistere.

Ap. M. Sen. controv. IV. 26.

Grot. L. B. 2. 24. 6.

In compensatione illud non frustra dictum est, totius civitatis viribus faciendam esse. Id quod in natura negotii inesse, satis intelligitur. Si enim vicinorum tantum, aut paucorum civium damno, ceteris non appellatis, resarciretur, quod in usus publicos Domi-

nium

nium Eminens inſumſit, querelis non injuſtis locus daretur. Unde ad æquabilitatem in hoc toto negotio conſervandam, ubi res patitur, & tam in hunc quàm in illum Dominii Eminentis vigor incumbere poteſt, ſors adhibenda videtur. Atque id temperamentum in obſidibus ſuadet *Grotius*: *Si plures ſint, quorum* I. B. 3, 20, *quis obſes eat, Reipublicæ nihil interſit, danda* 52. *opera videtur; ut ſorte res dirimatur.* Sicut autem, ubi non hujus potius, quàm illius opera aut res, Reipublicæ neceſſaria eſt, merito ita quæritur Dominio Eminenti materia, ut æqualitas juris inter cives præcipue attendatur: ita quando compenſandum eſt, in communi ad onus obligatione, non hic potius quàm ille onerandus eſt. Itaque civitas ſæpe bonis univerſitatis, aut ærario publico utitur ad compenſandum: niſi nova exactione aut diſtributione res plane opus habeat. Qua occaſione notanda eſt ratio eorum, qui genus tributi (ἐπιβολὴν vocabant) in Orientali Imperio iniquitatis accuſabant. Deſcribunt hoc tributum *Simeon Metaphraſtes & Cyrillus Scythopolitanus*, à *Nicolao Alemanno* laudati ad *Procopii* ἀνέκδοτα, qui & ipſe exagitat, non tamen, ut Juſtiniani demum tempore repertum, quod *Suidas* verba ejus de cetero exſcribens, 100. & 101. exiſtimavit. *Quando peſtis & fames, domos &* Voc. ἐπι- *familias hominibus, pagos & villas cultoribus* βολὴ. *paſſim vacuaverant, tum ne res ærarii deterior fieret in annuis reditibus, decretum eſt, ut à vicinis exigerentur tributa eorum, qui interiiſſent.*

Obti-

Obtinebat ergo in universo Imperio, ut vicinorum quisque, vicini cujusque pendere tributa cogeretur, sive illos pestis & inopia absumpsisset, sive necessitas sedibus suis emovisset, aut solvendis tributis impares fecisset. Patiebatur hic jacturam ærarium, morte & inopia eorum, qui tributa pendebant: quæritur, unde farciendam? certe viribus omnium eorum, qui ærario ad usus publicos obligantur, id est, omnium civium. Nemo mihi hic dicat, Dominii Eminentis arbitrio (cujus rationes alias sibi accommodare res tributaria solet) in vicinorum prædiorum possessores hoc onus inclinari posse. Fac enim, hanc regionem peste fameque vastatam, alias intactas esse in eodem imperio. Cur afflictæ illi regioni onus imponendum supplendi ærarii, præteritis florentibus? ita quidem de hoc genere, (ἐπιβολῆς) scriptores ante nominati loquuntur. Cujus repertor Marinus quidam Syrus putatur, quodque apud Justinum Imperatorem, Sabam, apud Justinianum, Eusebium Presbyterum, deprecatos memorant, ne Ecclesiæ pendere cogerentur. Ex *Novellis* autem facile mitiora colligas, de ἐπιβολῇ, quantum ad *ὁμόδουλα καὶ ὁμόκηνσα* *conserva & contributaria prædia*, ut reddunt, attinet. Considerari interim meretur, quod *superindicti* nomen (quo non hæc ipsa ἐπιβολὴ, quæ Græcis describitur, sed laxius adeoque minus definita invidia, extraordinaria indictio notabatur) quasi tyrannidis quandam speciem haberet, Imperatores Honorius & Theo-

Novell. 128. c. 7. & 8.

Theodosius sustulerant. Sed hæc in transitu. l. 1. C. de indict. XI 17.
Quamquam alias, ut ante cœpimus dicere, in materia vectigalium & tributorum haud raro sit respiciendum ad Dominium Eminens, ut quando de pecuniis, quas etiam de invitis civibus opulentioribus mutuas exigi, necessitas Reipublicæ suadet, agitur: itemque de usuris eo nomine solvendis aut non solvendis: quæque alia sunt ejus generis. Etiam cum de oppignoranda aut vendenda parte civitatis quæritur, ut ærario subveniatur, aut necessitates Reipublicæ expediantur, ab hac philosophia aliquod præsidium peti videmus. Concurrunt plura in historia Boreali de Scania, Hallandia, Bleckingia, Lystris & Huena, quas primum Dani, angustis domi rebus, Johanni Holsatiæ Comiti pignori obligaverant. Postea cum extremo *Holsatorum* jugo fatigatæ illæ provinciæ, ad libertatem aspirarent, Regisque Sueciæ Magni opem respicerent, *Comes* 1332. *Joannes videns se tanto adversario haudquaquam parem futurum* (refero verba *Isacii Pontani*) Hist. Dan. l. 7. p. 455. *extemplo, quod dicitur, necessitatem in virtutem vertens, quicquid è Scania, Hallandia, Bleckingia & Lystris sibi oberatum habebat, id venditione cum Sueonibus habita, acceptis* 70000. *argenti puri marcis, Magno in totum transtulit, postquam summa cum vi & violentia triennium circiter id ipsum tenuisset.* Duplex hic titulus occurrit: primum, quo pars civitatis à corpore discedit necessitate compulsa, dum aliter servari non potest; deinde venditio. Priori Grot. 2. 6. 5.

Pontan. l. 7. majorem auctoritatem videtur tribuere *Historicus*, cum de utroque subjicit : *Varie exinde super ea disceptatum venditione, quæsitumque, an ei, qui tantum oppignoratam regionem teneret, ejus abalienandæ potestas esset : quamvis Sueci non ea tantum cum Holsato transactione, sed etiam literis indigenarum niterentur*, quas & postea agnoscit Historicus. Hactenus alio pertinebit, quod & se in fidem Suecorum illæ provinciæ dediderunt, & Comes Holsatiæ suum, quod habuit, jus Suecis vendidit. Accessit Regis Regnique Daniæ auctoritas, confirmatis, quantâ fieri potuit solennitate, quæ acta erant. Id quod conventio Regum Regnorumque Sueciæ & Daniæ abunde testatur, literis publicis, quas refert Historicus in rebus Woldemari III, illis verbis : *Item volumus, & firmiter statuimus, ut omnes ac singulæ placitationes & literæ, per dictum Dominum Regem* (Woldemarum) *& quoscunque alios, nobis datæ aut nobiscum habitæ, super terris Scania, Hallandia, Bleckingia, Lyster & insula Huan, in suo pleno vigore & robore, per hanc nostram placitationem & finalem concordiam, in nullo penitus diminutæ vel debilitatæ, sed potius redintegratæ & de novo roboratæ ac firmæ sint, ac in perpetuum stare debeant & durare.* Sic nova juris præscriptio observatur, quando Dania necessario suo tempore, oppignoratis primo provinciis, subinde in solidum cessit, repetitisque pactis, Suecorum possessionem & jus firmavit. Secuta sunt tempora, quibus Regno Sueciæ,

Pontan. l. 8. pag. 468. & seq. anno 1343.

per

per vitia Regis, in factiones scisso, ad periculosa auxilia conversus Magnus ille, Waldemari blandimentis, quibus & minæ miscebantur, in Scania pellectus, reddidit Danis provincias illas, una cum literis pactionum superiorum. Iterum *Pontanus*: *Recepit* Woldemarus (inquit) *haud multo post volente atque assentiente Rege Suecorum Magno, quæ intacta adhuc supererant, Scaniæ, Bleckingiaque munitiones & castra: similiter & literas idem Magnus Woldemaro traditas assignavit, quibus Johannes Holsatiæ Comes Scaniam sibi oppignoratam Suecis vendiderat, tum & eas, quibus Scaniæ proceres Regem Suecorum, ut Principem suum inaugurarunt.* Sequitur: *Sueci hoc nomine Magnum detestati eum cognomento Smeck per convitium vocitarunt, quod se deliniri & blandis persuasionibus ad iniquas & turpes conditiones induci permisisset.* Unde *postea de hac alienatione inter Sueones & Danos armis scriptisque varie disceptatum est. Illis jus sibi integrum reservantibus; his quocunque acquisitionis titulo, & tandem longava possessione nitentibus.* Adi Clarissimum Virum *Joan. Loccenium*, cujus hæc verba sunt, qui amplius de jure hujus traditionis disputat. Quam disputationem nostram non facimus.

Vid. Eric. Upsaliens. lib. 8. pag. 490. Hist. Suec. lib. 3. in ann. 1360.

Quare ut aliquid Dominii Eminentis auctoritate interposita ad alios valide transferatur, cautionibus variis locum dari videmus. In quibus *securitatis præstatio* non omissa in *Instrumento pacis*. Illa securitas in mixto Reipublicæ statu, rectissime ad partes corporis ita

Artic. 10. §. Ex/ulsi denique.

ita refertur, ut, si Statuum unus aut plures, quicunque denique Imperii consors, discesserit à pactione, à ceteris coërceatur. In simplici autem Republica, neque consultum est ita statuere, ut si in Aristocratia vera, Optimates non servent conventa, à populo coërceantur, neque Regiam formulam in Regno sapit, si dictum est, quandocunque Rex aut ejus successores contravenerint iis, quæ acta sunt, tum Senatores aut Ordines hostiliter se iis opponere possint ac debeant. Quam formulam alicubi obtinuisse scimus. Est & alius modus securitatis præstandæ, quando arbitri adhibiti, aut tanquam executores, paciscentium consensu adsciti exteri, adversum violatores conventorum, parti læsæ auxilium & arma spondent.

Pertinere quodammodo huc videtur & illa quæstio de certamine singulari, non tamen omni: sed quando summa potestas præcipit uni aut paucis, ut controversiam publicam armis discernant. Armis enim tueri civitatem & civitatis lites, quæ judicio terminari nequeunt, ad omnes pertinet. Hinc dubitari potest, quo jure in unum aut paucos transferatur, quod est omnium. Nihil ergo dicunt, qui putant, nihil interesse, unius paucorumve, an multorum opera civitas utatur, ubi de summa belli agitur. Quæ omnia temere in paucorum manus resignatur. Neque tantam vim, quantam speciem habet, quod vulgo fertur, de parsimonia humani sanguinis, & mittendis in

Vid. Bodin. de Republ. 4. 6.

com-

compendium belli calamitatibus. Quis enim non videt, satius esse, vel multorum interitu & calamitatibus redimi libertatem civitatis, quæ talibus duellis simul & semel perdi potest: cum ex diverso, post plures etiam clades, reparari fortuna queat? Temperari ergo solent ejusmodi historiæ (in quibus non est nulla suspecta) vel quod deposcunt certamen potius, quàm jubentur pugnatores, vel quod ad mores temporum magis quàm ad certam juris rationem referantur pugnæ. Sic in certamine inter Turnum & Æneam destinato, deliberatur quidem, an Turno imperari debeat singularis dimicatio cum Ænea, qui summus ipse Dux obtulerat arbitrium pugnæ: sed Rex Latinus dissuadet Turno discrimen, nulla justæ caussæ fiducia ineundum. Atque ita abest summæ potestatis auctoritas. Non ex vero itaque, sed figura adjuvat suam caussam Turnus, cum inquit apud Poëtam: Grot. 2, 20, 10.

—— Vobis animam hanc soceroq; Latino
Devoveo. Virg. Æn. 11.

Qui autem partes Turni tuentur, iniquam conditionem arguunt:

Non pudet, ò Rutuli, cunctis pro talibus unam
Objectare animam? Æneid. 12.

Quod si utraque pars litigans civitati subest, tum vero nullo modo decuerit, hæc sacra regni (talia enim sunt omnia jura majestatis) in privatas manus tradere: officioque judicandi, quod publicum Deus esse voluit, privata per arbitria defungi. Sed hoc genus duellorum

alterius est loci: neque hic nisi ex occasione tangitur. Quin &, si prius illud genus, alio referre maluerit quispiam, non habebit nos adversarios.

De Clericis non opus fuit nobis seorsum agere. Quæ enim de civibus & partibus civitatis diximus, & de necessitate publica, non patiuntur restringi dominium eminens. Quæ autem sunt privilegia & jura, certis hominibus & ordinibus concessa lege civili, ne contra necessitates Reipublicæ valeant, legislatoris potestas ultro præstat: dum vel tacite summam legem publicæ salutis & necessitatis ubique exceptam vult intelligi, vel interpretatione aperta expedit, quæ obstant. Neque repetenda sunt, quæ alii de subjectione & exemtione Clericorum inquisiverunt. Nisi quod in quæstione consilii, quotiens à jure distinguitur, libenter & sedulo eliguntur, quæ ad favorem ordinis, & moderationem faciunt.

In toto quippe hoc argumento, sicut antea monuimus, nihil est negligendum, quod officii, caritatis, boni moris observantia dictat. Ut de durioribus, aut odiosis, quàm fieri potest, minimum sumatur. In judicando & scribendo plurimum interest, ignoscas aliquid imperantibus, & necessitatis publicæ sensu humanius ducaris; an directa, ut sic dicam, juris nomina imponas consiliis factisque, ut primum sibi dominii eminentis vocabulum præscripserunt. Fallor, an & illud

pro-

proderit, si discreveris non segniter, quo naturalis ratio vocet aut ducat; quid in hoc genere gentibus placuerit; quomodò denique legislatio civilis suas cum dominio eminente rationes interdum conferat.

Verbo attingemus illam quæstionem, *an civis à Principe, sive summa potestate, possit solvi supereminente dominio.* Quod summo Viro *Hermanno Conringio* ita visum est, in egregio *de Finibus Imperii Germanici* opere. Potest summa potestas jus suum interdum à cive abstinere. Sed sicut sine ratione id fieri non debet, ita sine modo fieri non potest. Potest summa potestas civem aut cives aliquos immunitate tributorum & vectigalium donare, sive solvere necessitate conferendi solitas exactiones. Sed omnes cives hac necessitate solvere non potest: dissolutio enim imperii sequeretur: cui conservando summa potestas tendit; & cujus destructione, ipsa etiam destrueretur. Ita, si per usum eminentis dominii ab invitis civibus opulentis mutuandæ essent pecuniæ: posset forte uni & alteri parci, ex caussis aliunde emergentibus, si summa necessaria absque ipsorum ope confici potest. Quid, si non potest? necessitas ponit modum: quem implet tenetque, qui dominium eminens exercet. Ita si domo alicujus civis destructa opus est ad defensionem civitatis, non videbor rectè dicere, summa potestas potest eum civem solvere dominio eminente. Dominium enim Eminens fundatur salute publica, necessario

c.10. pag. 166.

tempore curanda: cui omnes cives naturaliter obligantur intra illos fines, quos ipsa determinat. Videtur ergo non dari unquam locus huic quæstioni. Non in futuros casus, & in summam, aut in perpetuum: repugnat enim ipsa ratio dominii eminentis, ut excipiatur civis, aut res civis, qua necessitas publica indiget, aut indigere recte dicitur; prævideri enim talia, antequam usu veniant, nequeunt. Non in præsenti. Aut enim postulabit utilitas publica, ut sibi jus hujus aut illius cedat; & exceptioni non erit locus, ut dictum est: aut non postulabit. Quod si ergo necessitas ac utilitas publica non indiget tali subsidio, jam iterum locus non est eminenti dominio. Hæc annotare volui, ut exempla, quibus hic maxime opus est, ad declarandam hanc quæstionem à viris doctis elicerem.

Audio quidem nonneminem dicentem: *Princeps à subdito sibi, mutuatus est pecunias: est hoc negotium ex iis, quæ à vi summi imperii non pendent. Hic, ne nihil inter ipsos actum sit, ex ipsa negotii natura intelligitur, quod Princeps remiserit dominium eminens; alias etiam in hoc jus, subdito ex pacto cum ipso imperante quæsitum valiturum, ut ipsam hanc obligationem, si ex bono publico sibi videretur, tollere posset.* Verum *Grotius*, & qui dominium eminens recte explicant, nunquam concesserint, à Principe tolli talem debiti obligationem posse obtentu dominii eminentis: quod scilicet sine compensatione non subsistit. Suspendi, non tolli,

ex caussa solutio posset, si Princeps illam pecuniam, quam privatim civi debet, Reipublicæ necessitatibus ipse velit commodare. Facienda tamen erit solutio, ut primum per rationes necessitatis publicæ, si quidem ei suas quoque opes in tantum gratificatus est, fieri poterit. Igitur nec opus erit, ut pactum subsistat, remissione dominii eminentis: quod nec ad tollendas ejusmodi obligationes valet; nec quousque valet, remitti potest saluo imperantis officio. Neque enim civis, qui ita pactus est cum Principe, deterioris conditionis est, per rationē dominii eminentis, quàm si cum alio cive pactus esset. Nam &, ne ille alius civis redderet pecunias eo tempore, quo convenit, sed Reipublicæ potius commodaret, dominium eminens efficere potuit: non quidem tollendo obligationem, quod jam totiens monuimus, sed differendo solutionem. Et obligatio quidem Principis cum subdito paciscentis & contrahentis, jure naturæ perfecta est: Deoque teste & judice sustentatur. Aliud considerandi & loquendi genus est, quando propter negatam vim cogendi Principem, ut pacto stet, hæc negotia spectantur. de quibus infra.

Cogitandum est etiam eruditis, an illud, quod ex Grotio ante attulimus, sine explicatione admittere velint: *eminentis dominii usum in regimine dominico nullum esse, quia utilitas publica tantum per accidens ibi attendatur; sed tantum in meliori regimine.* Primo enim non

fuerit, arbitror, regimen dominicum cum tyrannico confundendum. Deinde: imitatur regimen dominicum in plerisque imperii civilis rationem; & nomen utilitatis publicæ ſæpe in ore habet. Poteſt & revera interdum accidere, ut utilitas publica cum utilitate domini congruat. Sed parata forte fuerit reſponſio: Eminens dominium in civili, & regio regimine, *excellenti modo* valere; in herili imperio, *per ſimilitudinem & imitationem, & in certis caſibus* oſtendi poſſe.

Recurrere licebit ad principium hujus diſſertationis, & iterum tueri Grotium de novitate vocabuli. *Nova* enim *vocabula*, inquiunt, *non minimum habent difficultatis, dum aliam ſæpe ſignificationem induunt.* Fateor me non intelligere ſatis hæc verba. Si nova ſunt, aut habent ſuam ſignificationem, aut non habent. Poſterius nemo dixerit. Si prius confitendum eſt, ille impoſuit ſignificationem, qui novavit, qui primus ita uſurpavit, ut, quomodo intelligi vellet, explicaret. Quo facto, ſi aliam, ab impoſita primum ſignificatione, induunt, vitio certe eorum fieri conſtat, qui non manent in ſignificatione primum impoſita & expoſita. Atque ita fateor, intolerandæ mihi audaciæ ſemper viſum eſſe, quod homines adoleſcentes, qui nunquam Grotium ita legerunt, ut intelligerent, de dominio eminente, quod primum Grotius explicavit, ea conſcribillarent, quæ Grotio nunquam in mentem venerunt: hoc jus maje-

ſtatis

ſtatis, cum omnibus aliis majeſtatis juribus turpiſſime confuderunt: denique poſt longas nugas id egerunt, ne quisquam neſciret, ipſos, quid eſſet jus dominii eminentis, ſolide ignorare, & imperitiæ audaciæque ſuæ chimæras, novo & raro ſchemate induere conſtituiſſe. Hic jam aliam ſignificationem, non ſane induit vocabulum ſuo ſignificatu contentum; ſed ignorantia hominum ſuperbiſſime omni ſolidiori doctrinæ illudentium. At enim id *maxime quæritur, an Politicis liceat, terminis Jureconſultorum aliter uti, quàm ipſi ſolent.* Quomodò id maxime, quomodo omnino quæri poteſt? An *dominium eminens* eſt vocabulum Jureconſultorum? Si hoc, cur novum? Scio autem, Jureconſultos plurimæ lectionis nondum id appellationis in ſcriptis Juridicis reperiſſe. Nec mirum. Jura enim majeſtatis numerare, & explicare, non eſt Jureconſultorum: ſed Politicorum. Nugæ utique canoræ ſunt, quæ afferuntur, tanquam ad ſententiam Grotianam de dominio eminente pertinentia. Jam quæratur iterum: an vocabulo *dominii eminentis*, quo nemo Jureconſultorum uſus eſt, vel de hoc jure majeſtatis, quod Grotius explicat, vel ullo alio ſignificatu, liceat Politicis aliter uti, quàm Jureconſulti ſolent? Quis feret ita interrogantem, id eſt, ſibi contradicentem? At forte *dominii* vocabulum Jureconſultis proprium eſt. Præterquam autem, quod hic non de dominio, ſed de dominio eminente quæritur,

an non dominium in actu signato, ut loquuntur Metaphysici, tractat Philosophus, à quo acceperunt, & in actu exercito, suæ quisque civitatis negotiis & legibus accommodarunt Jureconsulti? An Plato & Aristoteles, quid cuique proprium & suum esset, qui proprietatis & dominii effectus haberentur, à Jureconsultis, aut hi ab illis didicerunt? An Scholastici Philosophos egerunt, aut Jureconsultos, cum totam dominii rationem tam operose diligenterque explicarunt? Et quid vetaret (quamquam non opus est huc devenire) voce, quæ diversis disciplinis usitata est, aliter uti in Politicis, quàm utuntur Jureconsulti in argumentis juridicis? Nonne infinita sunt exempla? Neque tamen inde dicendum est, quod *Politicis cum Jureconsultis non semper conveniat.* Apage loliginem in pravis hominum moribus, non in literis & disciplinis amice semper conspirantibus natam. Quì non conveniret Politicis & Jureconsultis, cum Jureconsultus habitu Politico (non quidem confuso cum habitu Jurisprudentiæ, sed conjuncto) nunquam carere possit? Doctis politicis (sive Philosophis civilibus) cum doctis Jureconsultis, id est, utrisque mensuram sui nominis implentibus, probe & semper convenit. At indoctis utrisque an & quid conveniat, nec quærere refert, & mirum sit, si fundamento omnis in literis concordiæ, solida eruditione sublata, quicquam congruere aut convenire queat.

De-

Designata videri jam possit, quamvis rudiore Minerua, hujus loci philosophia. Nam & abusus rei tam sanctæ, quæsitaque inde obliquis aut malis artibus ac vaframentis politicis speciosa vocabula, facile ex iis, quæ dicta sunt, dignoveris. Unicam adiiciemus annotationem, de voce *Necessitatis*; qua obscure, ambigue, licenter uti, multis inter artes est. Et *necessitati* quidem *simplici ac absoluta*, quam vocant, nullum in hoc civili genere locum esse, notius est, quàm ut repeti debeat. *Necessitas* autem *cum adjunctione*, ut *Cicero* adpellat, adeoque & *necessitas finis*, quæ hic attenditur, habet utique suos gradus. Neque enim *ultimus* semper *articulus necessitatis* sumendus est, cum vocabulum hoc auditur. Sed nec inusitatum est, necessaria dicere, *quibus tutius certiusque finis obtinetur*, in comparatione scilicet, ubi ex adverso constituuntur, quæ finis obtinendi spem objecta periculorum specie infirmant & minuunt. Pertinet porro huc, quod *Plinius* exquisita sententia extulit: *Summa ratio sapientibus pro necessitate est.* Summa ratio, exempli gratia, quam salus populi postulat, vel ex magna honestate, vel ex magna utilitate. Quamquam alias distinguuntur *Utilitas* & *Necessitas*. Utilitas tamen excellens & publica, in rationem necessitatis assumitur, sive utilitati ea æstimatio accedere potest, ut necessaria habenda sit. Præclare *Cicero*: *Summa quidem necessitudo videtur esse honestatis, huic proxima incolumitatis: tertia ac levissima commoditatis:*

Epist. 1. 12.

2. de Inv. 58.

quæ cum his nunquam poterit duabus contendere. Sequitur subinde: *Qua re fieri poterit, ut, cum incolumitati consuluerimus, quod sit in præsentia de honestate delibatum, virtute aliquando & industria recuperetur, incolumitatis ratio videbitur habenda: cum autem id non poterit, honestatis. Ita in ejusmodi quoque re, cum incolumitati videbimur consulere, vere poterimus dicere, nos honestatis rationem habere, quoniam sine incolumitate eam nullo tempore possumus adipisci. Qua in re vel concedere alteri, vel ad conditionem alterius descendere, vel in præsentia quiescere, atque aliud tempus exspectare oportebit.* Addit: *In commoditatis vero ratione, illud attendatur, dignane caussa videatur ea, quæ ad utilitatem pertinebit, quare aut de magnificentia aut de honestate quiddam derogetur.* Neque comparationem omittit: *Atque in hoc loco mihi caput illud videtur esse, ut quæramus, quid sit illud, quod si adipisci aut effugere velimus, aliqua res nobis sit necessaria: hoc est, quæ sit adjunctio, ut proinde, uti quæque res erit, laboremus, & gravissimam quamque caussam, vehementissime necessariam judicemus.* Vide etiam, quæ de affectione honestatis & utilitatis addit: unde quædam res ex tempore & ex consilio, non ex natura sua consideratæ, non tales habendæ videntur, quales ante habitæ sunt, aut plerumque haberi solent. Accurate distinguit *utilitatem* in re civili, quatenus vel ad *incolumitatem*, vel ad *reliquam commoditatem*, gradu non æquali pertinet: & posse tamen fieri ostendit, ut necessi-

cessitas in utroque genere locum habeat, vel ex natura rei, vel ex temporis & consilii ratione. Sicut autem in nostra materia, levia & minora, & aliunde ad præcipuum finem reflectenda, merito excluduntur: ita ad tantas angustias redigi non debet summa potestas, ut dominio eminente uti nequeat, nisi in vehementissima necessitate, quæ vim refert. Si enim ne privatorum quidem actus, uno eo soloque necessitatis gradu metiri legislatores & judices solent: quæ ratio summo imperio tam rigidam legem dici patietur? Ne tamen in alteram partem licentius evagetur hæc philosophia, facile præstabunt, quas ante indicavimus, moderaminis ac temperamenti regulas.

Prorsus est memorabile exemplum temperamenti & moderationis ad æquitatem relatæ, nec tamen publicæ utilitati disconvenientis, quod *Livius* interpretatur. Venerat lib.31.c.13. tempus, quo privatis Respublica pensionem tertiam pecuniarum, quas mutuas in bellum Punicum secundum dederant, solvere debebat. Sed exorto novo bello Macedonico, vix huic sufficere ærarii vires, Consules responderunt: & Dominii Eminentis exceptionem, ut hactenus loquimur, expetitæ solutioni opposuerunt. Quasi dicerent: Debetur vobis sane pecunia, hoc ipso tempore solvenda. Sed juri vestro intercedit necessitas publica, & per rationes Dominii Eminentis suspendit cursum debiti, vestramque inopiam inopiæ civitatis

tatis cedere jubet. Nec inveniunt privati, quod fortiter respondeant, nisi quod metum & casum figurant, quo in infinitum Dominii Eminentis obtentu, suo jure arceri, id est, quid aliud, quàm privari sua pecunia, non ob culpam, sed ob beneficium, possent: Bello Punico successisse Macedonicum, huic aliud, inde rursum aliud succedere posse; unde ipsis pecunia debita negaretur, imo, procedente in longius isto prætextu, interverteretur. Ostendit certe hæc oratio, quantũ ex iniquo trahere Dominii Eminentis auctoritas videretur. Sed Respublica non erat soluendo ære alieno: id est, adhuc inconcussa stabat vox hujus loci & argumenti propria: privatorum jura utilitatis publicæ caussa differuntur minuunturque, quantum ad tempus, donec depulsa necessitate facultas satisfaciendi & pensandi redierit. Verum Senatus recte judicavit, tum demum Dominii Eminentis subsidia justis privatorum desideriis opponi, si omnia prius tentata, & leniores agendi viæ quæsitæ initæque fuerint. Quare agri publici intra quinquagesimum lapidem copiam creditoribus facit, hac lege, ut si quis, cũ solvere posset populus, pecuniam habere, quàm agrum mallet; restitueret agrum populo. Hoc est, ut censet Historicus, decernere id, *quod medium inter æquum & utile est.* Consules præsentius uti volebant remedio, quod sola necessitas ac utilitas publica defendit: Senatus rationem temperamenti excogitavit, qua constaret, ab

invi-

invitis huc decurrendum, & nihil non ante experiendum esse. Si tamen non potuisset moderationis talis ratio reperiri, sentiendum & dicendum fuisset, quod Consules & senserant & dixerant.

Hactenus de Dominio Eminente. Nunc ad cetera capitis primi progrediendum est.

Quod justitiæ *distributivæ* sive *attributrici* conveniat *proportio Geometrica*; *expletrici autem s. correctivæ*, *Arithmetica* proportio: Aristotelis est sententia diligenter à vetustis & junioribus interpretibus explicata; nuper etiam in *Elementis Pufendorfianis*, & *Feldenianis in appendice ad cap. 2. & c. tertio quartoq;*. *Grotius* §. VIII. id ex eorum genere esse, quæ sæpe, non, quæ semper fiunt, annotat. Neque hoc adversus Aristotelem valide audiretur, si quis probe judicaret. Non enim alia promittit in Ethicis Aristoteles, quàm quæ plerumque ita se habent. Loca sunt multa & insignia, unde hoc constat. Sed idem, quod Grotius, monuit etiam *Suarius in opusculo de justitia*: cujus rationes repetit *Joannes de Dicastillo*, & explicat firmatque amplius in disputatione *de restitutione*. Quæ loco commentarii esse possunt in hac quæstione. Quamquam non desint rationes, quibus explicari commode possint exempla in contrarium allata, etiam ad communem sententiam.

lib. 1. def. 17.

De justit. & jur. libr. 2. tr. 2. disp. 1. dub. 2. Et disput. 7. dub. 3.

Illud annoto tantum: Quod, cum justitia æqualitatem quærat spectetque, è duobus æqualitatis generibus, Geometricæ laudes emineant

neant, & apud *Aristotelem* (*in sede propria*) & apud *Platonem*, qui *sexto de Legibus* præclare ostendit, nullam posse vel constitui vel servari societatem civilem absque ἀναλογίᾳ stricte sic dicta, quam ipse vocat γεωμετρικὴν ἰσότητα. Et *Isocrates in Areopagitico*, volens declarare, nullam rempublicam, ne popularem quidem, posse stare, si omnia omnibus tribuantur, ita de Atheniensis reipublicæ administratoribus antiquis loquitur: *μέγιστον δ' αὐτοῖς συνεβάλετο πρὸς τὸ καλῶς οἰκεῖν τὴν πόλιν, ὅτι δυοῖν ἰσοτήτοιν νομιζομέναιν εἶναι, καὶ τῆς μὲν ταὐτὸν ἅπασιν ἀπονεμούσης, τῆς δὲ πρὸς τὸ προσῆκον ἑκάστοις, οὐκ ἠγνόουν τούτων τὴν χρησιμωτέραν. ἀλλὰ τὴν μὲν τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσαν τοὺς χρηστοὺς καὶ πονηροὺς ἀπεδοκίμαζον ὡς οὐ δικαίαν οὖσαν. τὴν δὲ κατ' ἀξίαν ἕκαστον τιμῶσαν, καὶ κολάζουσαν προῃροῦντο. Plurimum autem illis profuit ad bene gerendam rempublicam, quod cum duo existimentur æqualitatis genera, quorum alterum, unum ac idem singulis, alterum unicuique quod convenit tribuit, non ignorarunt, utra utri præferenda esset: illam quidem æqualitatem, quæ bonos malosque iisdem rebus dignatur, ut iniquam rejecerunt; eam autem, quæ unicuique pro merito honores pœnasve attribuit, sequendam sibi prahabendamque duxerunt.* Sequitur de magistratibus constituendis exemplum hujus philosophiæ.

§. IX. *Jus pro lege* acceptum, *obligatione* potissimum æstimatur. Habet enim hoc omne jus, ut obliget. Obligatio autem illa semper refertur ad aliquam pœnam, violationi juris alicunde imminentem. Quod enim nonnulli

nulli dicunt, *obligationem tantum naturalem, sicut nullam parit actionem, ita nullum pœnæ metum inferre*, id quale sit jam supra diximus, & præclare explicat *doctissimus Seldenus in Opere hujus argumenti.* Confunduntur enim diversæ obligationes. *Obligatio tantum naturalis* non facit, ut quis metuat pœnam ex obligatione civili imminentem: quippe quæ hic nulla esset. Sicut *si obligatio tantum civilis* attenderetur, frustra de obligatione naturali sermo inferretur, si autem *naturalis & civilis obligatio* concurrunt, ut in legibus naturæ, civili legislatione repetitis fieri solet, metus geminatur: adeo, ut remisso postea per judicem civili metu, sive metu quem civilis obligatio parit sublato, nequaquam eadem opera extinctus censeri debeat metus, quem naturalis obligatio excitaverat. Imo si quæritur, *quodnam jus majorem habeat vim obligandi, naturale, an voluntarium*: maximam vim obligandi jus naturæ habere, & antea diximus, & probat *in Elementis* eruditissimus *Feldenus.*

De I. N. & G. lib. 1. c. 4. pag. 47. &c. edit. Lond.

De justit. & jur. part. 1. c. 10. §. 6.

De *Permissis*, & *jure permissivo*, ut vocant, hæc est Grotii philosophia *hic*, & §. 17. *primo* permissio non est proprie actio legis, sed actionis negatio, nisi quatenus alii obligantur, ne ei, cui permittitur, impedimentum, ponant. 2. permissio vel est nudi facti, quæ huc non pertinet; vel legis. 3. permissio quæ fit lege vel est plena, quæ dat jus, omnino licite agendi; vel minor plena, quæ dat impunitatem à pœna, aut libertatem ab impedimento, aut utrumque. Cum his fere conveniunt & huc con-

contribuenda sunt, quæ infra *Grotius* habet, ubi de *licitis*, & *licentia* agit: *quædam dici licere*, quod omnino recta sint, id est, salva pietate & officiorum regulis fieri possint. *alia autem dici licere*, quod pœnæ apud homines non subjaceant. Hoc, *licere impunitatis*, & improprie dictum, vocat. Sed, si quis velit subtiliter partiri, posterius membrum evolvendum est. *Licere* enim quædam dicuntur, quod pœnæ non subjaceant, sed modo non uno. *Vel* enim pœnæ non subjacent quædam, ob defectum fori humani, sicut Regum exemplo, quibus omnia licere dicunt vulgo (quod parum caute *in defensione Regia Salmasius* explicavit) *Grotius* ostendit: vel impune aliquid licet facere, eo quod lex plane nihil de ea re in ullam partem constituit: vel denique, quia lex, ut hoc liceret facere, definivit. Ad utrumque hoc genus valere possunt sententiæ, quas Grotius affert, submonentes: *multa à legibus præteriri, aut permitti etiam, quæ tamen non oporteat facere studiosos justitiæ.* Quem in sensum clara est *Pauli* Jureconsulti regula: *Non omne quod licet, honestum est.* Quod *licet*, scilicet lege civili. Exempli gratia: multa creditoribus in executione in bonis debitorum licere, quæ minus honesta sint. Ad hanc enim juris speciem *Jacobus Gothofredus* illam regulam præcipue spectare existimat. Addenda sunt etiam φιλοσοφήματα *Petri Fabri* ad illam & parallelas regulas. Unde apud *M. Senecam* subtilis distinctio legum à Silone Pompejo adfertur: *Hæc lex*

lib. III. c. 4. pr. & c. 10. 1. & 2.

III. 4. 2.

l. 144. *de R. I.*

IV. contr. 25.

lex quid oporteat, quærit, alia, quid liceat. Quæ sententia nos de proposito nomothetico monere potest. Bonus enim Legislator semper quidem optat leges ferre quàm optimas, id est, juri naturali quàm maxime consentaneas: atque adeo id præcipue spectat, quid oporteat. Sed incidunt sæpe tempora, & casus varii, unde non licet presso pede viam illam regiam decurrere: quin ad ea deflectendum sit, quæ licere non vellet cuiquam, si ubique, quod optimum est, obtineri posset. Quo pertinet illa distinctio *Pufendorfio* explicata, actionum *perfecte licitarum*, quæ neque divina naturali positivave lege, neque humana civili vetantur; & *imperfecte licitarum*, quas naturali divinave lege vetitas, jus civile nulla pœna afficit. Sed ad *permissa* revertendum. Quoniam enim in officiis & actionibus legis non Philosophi tantum, sed cum iis *Modestinus* numerat *τὸ permittere*: dabimus operam, si philosophia hæc queat distinctius consignari. Ubi statim notandum est in legum officiis & actionibus recensendis, non illo laxo sensu sumi *permittendi* vocem, quomodo permitti dicuntur, quæ intra terminos abnutivos non vetantur, id est, silentio prætereuntur, non attinguntur verbis legis: sed, ut lex ipsa, permitti aliquid indicat. Ita *permittere*, doctissimo *Feldeno* est; *vim addere, ne quis, quod non injustum est, facere impediatur.* Sicut justo lex vim addere dicatur, ut fiat; injusto, ne fiat. Quæ ad id referri par est, quod in suo

IV. Controv. 25.

Elem. J. N. lib. 1. def. 14. §. 2. & def. 15. §. 2.

l. 7. de II.

Elem. part. 1. c. 10. §. ult.

suo genere excellentius est. Nam leges positivæ non raro res indifferentes, quæ ex se nec honestæ, nec inhonestæ, nec justæ, nec injustæ sunt, jubent vetantve, aut permittunt, prout aliqua occasio, aut utilitas civitatis huc legislatorem vocavit. Igitur si dicas permitti, *quod injustum non est*, hac descriptione comprehendas necesse est illud medium genus, quod signavimus. Nam de illis, quæ permittuntur ex se injusta & inhonesta, mox dicetur. Ceterum de *jure permissivo* dicturis extra quæstionem sunt, latæ illæ significationes, cum *permissa censentur omnia, quæ non sunt prohibita*: nisi addas actionem legis in vetando occupatæ. Nam tum recte dices: Hæc lex consignavit diserte, quæ nuptiæ essent incestæ & inutiles: ergo permisisse existimanda est, quas non prohibuit. De cetero etiam huc non pertinet quodvis silentium legis, ut queas dicere: Nulla lex civilis hoc prohibuit; ergo permissum est: leges enim civiles non de omnibus rebus præcipiunt. Potest interim prohibere lex naturæ, aut honestas aliqua naturalis siue regula officii non permittere, ut hoc aut illud agas. latius enim patet officiorum quàm juris regula. Ita ergo demum admitti potest, quod dictum est: permissum censetur, quod non est prohibitum ulla lege, vel naturali divina ac positiva, vel voluntaria civili, aut ulla honestatis regula. Multo minus *permissum* hic cum præcepto & jusso confundere debemus. Sic enim, quæ jubentur lege, ut licita, ita permis-

missa parum proprie dicerentur. Etiam istud non inutiliter observaveris : *permissum* interdum opponi vetito ; interdum non minus jusso, quàm vetito, sicut ἀδιάφορα Græcis dicuntur. De jure igitur naturali, sive divino (tum naturali primis hominum initiis coævo, tum eo, quod naturali adjectum est) vere possis dicere : *Quicquid jure naturali ac divino obligativo sive præceptivo non continetur, illud permissum eodem jure, censeri debet, sive juris permissivi naturalis esse*, ut loquuntur. Perfectio enim juris divini & naturalis postulat, ut ita sentiamus. Modo notes: si jus naturale decalogo conclusum sumatur, non literam tantum, sed totam διάνοιαν, & quæ certa argumentatione hinc deducuntur, accipi debere. Nota amplius : in jure divino naturali adjecto, non excludi debere appellatione juris permissivi, eas leges, quæ nec jubentibus, nec vetantibus, sed permittentibus verbis aut sententiis utuntur. In hoc transitu à jure divino naturali permissivo, ad *jus civile permissivum*, nonnulli ita versantur, ut universum jus civile etiam obligativum, pæne cum jure naturali permissivo confundere videantur ; quasi scilicet sanctiones humanæ & civiles unice ad jus naturale permissivum pertinerent ; quasi leges ferre, pacta inire, rempublicam constituere & regere, ex permissione illa tantum liceret. Quæ philosophia si non correctione, cauta tamen explicatione opus habet. Ordo enim imperandi & parendi in societate civili, adeoque

potestas legum condendarum, id est, pars ejus ordinis, jure naturali obligativo contineri rectius dicitur. Jus naturæ non permisit tantum, ut multi opinantur, sed præcepit civilem ordinem: cujus finis est honestas, à qua & constitutio & regimen societatis civilis modum & formam capit. Hinc est, quod lege civili non possunt præcipi, quæ lex naturæ vetat; nec vetari, quæ illa jubet: adde; nec adiaphora fieri, quæ lege naturæ jubentur; aut *permitti*, quæ naturâ vetantur. Si enim, *qui non vetat peccare, cum possit, jubet*; quid eo faciendum est, qui lege vetat impedimentum poni contra naturam peccaturo? Facilius pœna peccati remittitur, quàm peccaturo impedimentum removetur. Nam à necessitate puniendi, de qua suo loco, quæstionem illam, *an potestas civilis possit permittere legibus civilibus, quæ jure naturæ interdicuntur*, ego nolim suspendere. Quod si tales leges reperiantur in aliqua republica, illæ de fragilitate humana testantur: neque ullius auctoritatis obtentu in legum justarum numerum transseunt, quin obtineat *Grotii* admonitio, *principio cap. VII. lib. II.* Permitti de cetero queunt, quæ juri naturæ, aut fini civitatis non repugnant, quæ vel ex medio genere rerum sunt, ut vetari aut permitti idoneæ sint, vel jam præcepta mutantur; vel temporis & negotiorum necessitudini, intra limites nulla humana potestate mobiles accommodantur. Sicut exempla mox docebunt. Fit autem per-

missio

missio in jure permissivo civili, vel *actione legis*, vel *tacite*. Ad actionem legis etiam referri potest, ut supra tetigimus, *praeteritio*; non quidem simpliciter, ut in jure naturali permissivo, sed *ex formula & consilio legis*, exempli gratia, ita conceptae, ut legislator ostenderit, se voluisse plena enumeratione partium defungi. Tum enim permisisse censetur, quod inter vetita non recensuit. Si quidem sit ejus generis, quod naturali honestati, quae perpetuum juri naturali & tacitum supplementum praestat, non adversetur. Sed manifestior est actio legis, *per verba permittentia* in formula legis, aut privilegii, aut responsi rescriptique. In *Legibus Longobardorum* Rex Rotharis constituit: *Si quis liber homo migrare voluerit aliquo, potestatem habeat intra dominium regni nostri cum fara sua migrare, quo voluerit: sic tamen, si à Rege ei data fuerit licentia.* In Constitutionibus Siculis Imperator Fridericus II. *licentiam* dat *Forbannitos & Forjudicatos* (i.e. foris omnem aditum judicii constitutos, ut ipse explicat) *capiendi & occidendi.* Apud *M. Senecam* Lex: *Liceat adulterium in matre & filio vindicare.* Apud *eundem*: *Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrumque corpus interficiat, sine fraude sit.* *Tacite* in juris permissivi civilis naturam migrant, quae tolerando, connivendo, dissimulandoque vel in praesens, vel in longum, ut consuetudinis habitum induant, civilis potestas transmittit. In quo genere gradus esse, & pro iis,

lib. 3. tit. 14.

lib. 2. tit. 3.

Exc. controv. I, 4. IX, 1. Contr. I, 4. IV, 24.

majorem minoremve prætextum nemo non videt. Si autem in ullo juris genere, certe in hoc permissivo regnant *consilia*, *proposita*, *strategemata politica*, ut supremæ legi salutis publicæ servire videantur, & ad genuini juris simulacrum propius speciosiusve admoveantur, quæ ad hunc modum permittuntur. Non potest tamen iis vel rationibus vel artificiis semper *effici*, ut juste facta censeantur, quæ permissivi juris titulo se tuentur. Qua
II. 20. 17. de re *Grotius* egit, ubi quærit: *an leges humanæ, quæ interfectionem quorundam hominum permittunt, interfectoribus jus verum præstent, an tantum impunitatem apud homines?* Ad quem locum plura annotabimus. Scilicet permissio legis civilis, non efficit, ut actus aliquis non sit contra jus naturæ, aut extra pœnæ divinitus imminentis metum. *Fernandus Vasquius* leges permittentes cædem adulterorum, cum
c. I. 1. 8. 49. *Scoto* injustas pronunciat. Quamquam alia ratione de illis & ejus generis aliis judicari potest: si summa civilis potestas jure suo, manibus privatorum in vindicando flagranti crimine uti dicatur. Quod ex *Seldeno* alibi notamus. Ita tolerando & connivendo nullum juris titulum creari in multis, satis patet. Sæpe ipsa excusatio debilitatem tituli ostendit: cum permitti aliqua à consequenti dicunt, quæ per se non permittenda essent. Verum ista non nisi singillatim, & in ipsa facti specie dijudicari queunt. Superest, ut de *interpretatione* juris permissivi civilis aliquid adjicia-

adjiciamus. Quomodo ex *negatione juris obligativi, permissio inferri* soleat, ante diximus; nisi quod nunc illud addimus: quando dicitur permissum, quod nulla lege civili jubente aut vetante definitum est; non cavillanda sunt verba juris civilis, sed inspicienda est mens. Multa enim continentur in sensu legum, & ex necessaria consequentia, aut propter similitudinem, ultro inesse intelliguntur. Unde non male faciunt, qui negotia & caussas discerni oportere statuunt. Nam contingentia æqualiter, quæque ejus sunt naturæ, ut vel præcipi vel vetari ex æquo possint, facile ex silentio legum in licitis vindicantur. Imo silentium legum videtur quodammodo in istis obligationem inducere adversus impedimentum quodcunque. Sed in quibus subest respectus honestatis communis, & turpitudinis aliquis sensus, non eodem modo ex silentio colliguntur. Cumque nulla respublica solis legibus (quæ non omnia possunt in terminis, ut loquuntur, complecti) sed moribus quoque regatur, supplementum istud nunquam in hac disputatione excludi debet. Semper locum habebit illud: *Quod non est contra bonos mores, nec contra fidem, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum.* Erudite dico, & honeste prudenterque, non superstitiose hic versandum esse. Neque quæ tolerantur temporis & necessitatis, aut temporarii consilii caussa, juris veri & justitiæ nomine æstimari queunt. Consuetu-

 dini,

dini, ut multa alia, ita ad noſtram rem pertinens illud tribuunt, *quod de non licito licitum faciat. Licitum* ſcilicet liberaliter ſumunt, de eo, quod pœnam fori humani non metuit. Conſuetudinem enim, ut vere rem licitam faciat, ratio potius quàm tempus commendare debet. Suntque hæc ex eo genere, quæ ſublimioribus & neceſſitudine quadam conjungendis principiis nihil præjudicant aut detrahunt. Quantum attinet ad *jus permiſſivum ſcripto & verbis permittentibus* comprehenſum, liberalius & illud dici conſuevit, *quod nullam reprehenſionem mereatur, quicquid lege permiſſum eſt.* Permitti enim aliquando conſtat, quæ aliunde reprehendi poſſunt. Ita filius matrem in adulterio deprehenſam non ſine reprehenſione interfecerit, etiamſi lex, de qua ſupra dictum, cædem ejuſcemodi permitteret. Et de legibus patri, ſponſo, marito, conſanguineo adulterorum cædem permittentibus anceps eſt diſputatio, nec ſatis definitur ab eo, qui multum hic ſudavit, *Fernando Vasquio.* De cetero, in permiſſis interpretatio plerumque ſtrictius facienda eſt. Ita permiſſum certo tempore, nec ante, nec poſt permiſſum intelligitur. Et qui ipſe ſibi abutendo largius interpretatur permiſſa, amittere meretur, quod impetraverat. Et locum hic habet, quod in *Capitulis Caroli & Ludovici Impp.* legitur titulo *de poteſtate data non abutenda*: *privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur pote-*

De ſucceſſ. lib. 1. §. 7. n. 22.

lib. 7. tit. 44.

poteſtate. Addi his poſſunt, quæ de *permiſſione* & *jure permiſſivo*, philoſophatur *Seldenus.* de I. N. & G. lib. 1. c. 4. & 8.

An Hebræi jus naturale à conſtituto ita diſtinguant, ſicut *fine* §. 9. & *Annotatis* Grotius notat, doctiſſimus *Wagenſeilius* ad h. l. diſquirit.

§. X. XI. XII. De *jure naturali* agitur. Primo definitio §. X. aſſertur: in qua *non omitti debuiſſe fundamentum convenientiæ & diſconvenientiæ actuum cum natura rationali*, nempe *ſocialem hominis naturam*; vir doctus exiſtimat. Sed *Grotius* non omiſiſſe putandus eſt, quod & *in prolegomenis* ſatis expreſſerat, & §. XII. claris verbis plenius effert: *ſi oſtendatur rei alicujus convenientia & diſconvenientia neceſſaria cum natura* RATIONALI ET SOCIALI. Ut compendium pro omiſſione accipi non debeat. *Dictamen rectæ rationis*, à cavillatione vindicare vix attinet.

Bene autem obligationem juris naturalis ab imperio Dei naturæ auctoris in ipſa deſcriptione arceſſit Grotius. Non enim ſatis philoſophice ſatisq; cordate loquuntur, qui jus naturæ cum ipſo genere humano proditum ita deſcribunt, *quaſi nihil ſit aliud, quàm quidam naturalis inſtinctus* (naturalis inſtinctus nondum eo proficiunt, ut juris appellationem mereantur) *& ratio non dativa ſed nativa* (mirum ni hæc periphraſis ſit inſtinctus naturalis: quamquam elegantia illa barbara male ſe expedit, niſi oſtendat *dativum, nativo* præſtantius eſſe) *ſuadens honeſta diſſuadensque*

contraria. Ergo jus naturale suasoriis rationibus constat, id est, jus non est? Aliud enim est suadere, aliud imperare. Lex non suadet, sed præcipit. Suasio non obligat: jus obligat, ut ante dictum est. Jus naturale veteribus (Græcis scilicet Latinisque) *naturam* persæpe dici, verum & certum est. *Natura & ratio* i.e. natura rationalis, conjunctim non raro effertur. Sed cum *instinctu naturali* hæc non permutantur. Neque accuratius loquuntur, qui dicunt: *quod ex jure naturali descendit, nullo cogente imperio, sed spontanea voluntate ad effectum perducebatur in primordio mundi, sicque id jus naturale primævum & nativum nullam inducebat vim aut compulsionem*. Ratio additur: *obligatio naturalis ad effectum non perducebatur, quia eo tempore & jure nondum erant Principes, magistratus, judices*. Sequuntur plura apud *Vasquium*, quibus omnem vim obligandi juri naturali tantum à jure gentium & civili, id est à caussa instrumentali, præterita caussa principe, accessisse, valde dilute differitur. Non dicam de iis, quæ in historia peccantur. Nimis ægre fero, homines Christianos more ethnicorum de primævis antiquitatibus loqui; & præsidium sanctissimæ historiæ, quo illi carebant, oblivioni mandare. Loquitur *Vasquius* de primordio mundi post lapsum. An nullus pœnæ metus ibi ab immediato numinis imperio? Nihil timuit Cainus fratris interfector? Multiplicato genere humano, etiam si nulli fuissent Principes, magistratus, judi-

Controv. Illustr. l. 10, 17. usque ad fin.

judices (quod tamen importune diceretur & crederetur) annon Deus per se fecisset, quod postea jussit sua vice facere Principes, judices, magistratus? Unde ergo ducetur initium constituti ordinis imperandi & parendi? hac quidem ex hypothesi non poterit aliunde duci, quàm ab origine legum civilium, id est, à tempore Moysis. Antiquiorum enim legum non extat memoria, quàm quibus politiam ex voluntate divina constituit Moses. Loquimur autem nunc semper ad modum eorum, qui hanc disputationem conserere solent. Hujus ipsius Moysis opera promulgata est denuo *lex naturæ*, & Duabus Tabulis comprehensa: cum non tam scientia, quam auctoritas ejus, consuetudine peccandi, obscurata esset. Non tamen ante Moysen nulla vis erat legis naturæ, nullus pœnarum metus. *Nam inveniemus ante Moysen* (inquit *Auctor Quæstionum V. & N. T.*) *non solum non latuisse, sed etiam vindicata esse peccata. Quamobrem & justi fuisse reperiuntur multi, qui scientes Deum vindicem, timebant peccare.* Conqueritur, non immerito quidem, doctissimus *Feldenus*: *omnes jus naturæ dari clamant, nemo autem propemodum scit, quid illud sit: sed quod cuilibet sua dictat opinio, hoc pro jure Naturæ habet.* Et instituit sane ipse methodum eruditam inquirendi, *quænam sint juris naturalis.* Id enim tutius esse visum est, quàm definire ipsum jus naturale. Quamquam dubito, an se politis auribus approbaturum sit illud genus loquendi; *præcepta Decalogi, sive conclusiones ex universalissimis Prin-*

apud Augustin. tom. 4.

Elem. de just. & Jur. part. 1. c. 5. §. 1.

principiis practicis deductas certis & necessariis consequentiis; *esse propositiones quæ dicunt contingentia ut plurimum in rebus justis & injustis*. Illæ enim conclusiones quæ constituunt Decalogum, una cum principiis, de quibus dictum est, lege naturæ comprehenduntur.

In evolvenda *homonymia juris naturalis* in *h.* §. 10. exemplum *dominii, & communis rerum usus*, ad sententiam illam pertinet, quæ infra examinabitur ad *lib. II. c. 2.* Versus *Euripidis*, quos ex *Helena* Grotius Latino metro reposuit, à *v.* 909. in oratione Helenæ, iniquam esse rei familiaris amplificationem, alteri, præsertim fratri, nocentem, significantis, ita se habent:

Μισεῖ γὰρ ὁ Θεὸς τὴν βίαν, τὰ κλητὰ δὲ
Κτᾶσθαι κελεύει πάντας, οὐκ ἐς ἁρπαγάς.
Ἐατέος ὁ πλοῦτος, ἄδικός τις ὤν.
Κοινὸς γάρ ἐστιν οὐρανὸς πᾶσι βροτοῖς,
Καὶ γαῖ' ἐν ᾗ χρὴ δώματ' ἀναπληρουμένους
Τἀλλότρια μὴ ἔχειν, μηδ' ἀφαιρεῖσθαι βίᾳ.

Philosophia in ipso schemate poëtico nata est, quando jura naturæ Deo auctori ascribuntur ac inter jussa divina reputantur.

Adjicitur hoc loco quæstio: *an jus naturale mutari possit?* Qua in re incaute prorsus est versatus, & quæ rationi plurimum adversantur, dixit *Petrus Gregorius Tholosanus*. lib. X. c. 1. §. 8. Merito reprehensus à *Seldeno de I. N. & G. 1, 8. p. 105. edit. Londin.* Dividunt hanc quæstionem, ut *primum* dicant de eo, quid Deus hic possit: *deinde*, quid homines possint. De prio-

priori genere, dilucide *Calixtus*: *Hinc porro sequitur, à lege naturæ sive præceptis decalogi neminem eximi, vel licentiam contra faciendi impetrari posse, ne ab ipso quidem Deo. Sive, dispensare, ut loquuntur, in lege naturæ ne Deus quidem potest: hoc est, manente eodem objecto, & iisdem circumstantiis non potest fieri nec auctoritate divina concedi, ut id ab homine citra crimen aliter vel contra tractetur, quàm lex naturæ exigit. Si concederetur enim, Deus æternæ legi & justitiæ suæ, quæ est ipse, derogaret, sive utramque eversum iret: quod cogitatu absurdum impiumque. Dico autem, manente eodem objecto, & iisdem circumstantiis. Nam objectum & circumstantias mutare Deus potest. Mutatis objecto & circumstantiis poterit actio non esse contraria legi naturæ, quæ manentibus contraria fuisset. Rem alienam invito domino sine peccato nemo potest auferre; nec ut auferat, cuiquam à Deo vel præcipi vel permitti, quamdiu manet aliena. At quando Israelitas auferre jussit Ægyptiorum aurea & argentea vasa, auctoritate sua suprema Israelitis hæc ipsa in mercedem maximorum laborum, quos urbes Ægyptiis ædificando exantlaverant, adjudicavit; atque adeo, ut quæ prius aliena, jam propria essent, effecit. Israelitæ itaque ex Ægypto res non alienas, sed suas, asportarunt.* Atque hic quidem Dei actio est manifesta, objectum & circumstantias mutantis. Aliud genus exemplorũ est, ubi res, de quibus jus naturæ constituit, mutationem recipiunt; sive ubi subjecta suam naturam non retinent, accidentibus caus-

Theol. moral. de LL.

caussarum,ob quæ ita sunt, substantiam & naturam, absque Dei actione immediata, destruentibus. Quo pertinet quod de creditore acceptum ferente *Grotius*, de depositario *Feldenus* afferunt. Nam exemplum de fratre habente sororem uxorem aliquid habet altioris indaginis. De quo suo loco. Ab hominibus autem non mutari posse jus naturæ, clarum & certum est. Nisi quod, ut ante dictum est, quærere solent: an summa civilis potestas permittere possit, quod jure naturæ vetitum est? In qua disputatione diligenter puto tenendum esse, quod Grotius dixit & plerique agnoscunt, jus naturæ, ad naturam rationalem pertinere, qua socialis est: ideoque rationem & finem societatis juris naturæ dictatu metiri, non autem jus ipsum fine societatis definire nos oportere. Neque enim credo recte dici: finem societatis satis commode aliquando obtineri posse, etiamsi permittatur aliquid, quod lege naturæ vetitum est, sive si legi alicui naturali vis legis civilis non tribuatur. Quæ enim summa potestas ita judicaverit, illa sibi indebitum jus arrogaret: & ab immortis divinitusque natura duce & magistra præscriptis finis obtinendi rationibus deviaret. Certe fieret, quod in corrupta tantum republica fieri potest. Facta enim & exempla nos non movent. Sicut apud Tartaros, aliosque barbaros, mirum non est, rempublicam perverse geri: ita laudatas quoque civitates usurpasse ea, quæ laudari nequeunt,

Elem. part. 1. c. 5. §. 6.

in con-

in confesso est. Quod & in Spartanæ legis permissivæ exemplo Cl. *Pufendorfius* agnoscit. Elem. lib. 1. def. 13. §. 6.

§. XI. Juris appellationem ad bruta animantia porrigi non posse, diligenter h. §. & *in annotatis*, ostendit *Grotius*. Et fusius etiam hoc egit *Seldenus*, demonstrans, *nec Hebraeos jus aliquod hominum ac brutorum commune agnovisse*, & *quæ pro jure brutis communi afferri soleant, partim non repugnare veræ sententiæ, partim merito repudianda esse*; *tum* denique *Jureconsultos Cæsareos plurimos, viros gravissimos celeberrimosque ab Ulpianea juris naturalis definitione sibi recedendum jure existimasse*. Figura enim non caret illud loquendi genus, de *jure naturali animali*: quo concesso, nihil obstare potest, quin & ad jus commune cum plantis procedatur; quando homo non tantum spectatur ut animal, sed etiam ut vivens. Etiam ut corpus, ut aliæ res: atque ita jus naturale erit homini commune cum omnibus rebus, quibus facultates aliquæ à natura insunt. Sicut agnoscit, & quod consequitur, educit *Petrus Gassendus*. Atque ita jus naturale ad omnes omnino res producit, ordinemque rerum tali appellatione signat *Juo Capucinus Parisiensis* in opere, cui *hunc titulum* præscripsit. Uti *simulacra virtutum* in brutis animalibus *Cicero* agnoscit: ita *simulacra juris* rhetorico studio adornantur. In quo Hebræorum magistri quoque suas partes habent. Etiam ad lusum processum est in hoc genere loquendi, noto *Hieronymi Rorarii* libello, *quod animalia bruta*

de I. N. & G. lib. 1. cap. 4. & 5.

Phil. moral. pag. 1551. edit. prim.

2. de Fin. 33.

bruta melius ratione utantur homine. Hesiodi versus è *primo ἔργων* sumuntur: ubi etiam in antecedentibus & sequentibus philosophia de jure societatis omnis vinculo, multa Poëtæ facundia tractatur. In primis huc pertinent, quæ in *Græcis Procli scholiis* leguntur: *de justitia à Deo hominibus insita, deque natura sociali; quodque societas solo jure conservetur, societatique adversum sit, quicquid à jure abit:* ut conficiatur, *juris naturalis rationem studio societatis naturali æstimandam esse.* Quæ sunt ante dictis valde consentanea. Græca quidem suavius sonarent, nisi prolixiora essent. Liceat pauca excerpere. τοῖς ἀνθρώποις δικαιοσύνην σύμφυτον ἐνέσπειρε (ζεὺς) καὶ τὸ κοινωνικὸν ἐνέθηκεν αὐτῶν τῇ φύσει. — — κοινωνικὸν γὰρ ζῶον γέγονεν ὁ ἄνθρωπος, καὶ ὁ τῆς κοινωνίας αὐτῷ νόμος ἐκ τοῦ πατρὸς ἔγκειται κατὰ φύσιν. ἀδικία δὲ πᾶσα πρὸς κοινωνίαν καὶ κοινωνία πρὸς ἀδικίαν ἐστὶ πόλεμος. — — εἰ οὖν ἄνθρωπος εἶ, φύσει κοινωνικὸν ζῶον εἶ. εἰ δὲ φύσει κοινωνικὸν ζῶον εἶ, παρὰ φύσιν σοὶ τὸ ἀδικεῖν. κτλ.

à v. 274.

Ed. Heins. 1603, p. 66.

§. XII. Ostendit, *quomodo probetur, aliquid esse juris naturalis.* Etiam in *prolegomenis* hac de re dixerat, quæ huc repeti debent, ab illis verbis: *Primum mihi cura fuit &c.* usque ad illa: *non minus solicite. Seldenus* hunc locum copiose persecutus est. Cum enim demonstrasset, *Hebræos ex aliorum animantium actibus & usu jus naturale non elicere, neque ullum jus homini cum brutis commune agnoscere:* deinde ad *gentium omnium sive complurium opiniones, mores, constitutiones*, progressus, *quibus & ipsis*

de I. N. & G. lib. 1. cap. 4. & 5.

cap. 6.

jus

jus naturale non metiebantur Hebræi, annotat: 1. argumentum, ut à posteriore, è gentium moratiorum illustriorumque moribus non intempestive interdum desumi. Maxime cùm de juris naturalis Permissivi capitibus aliquot disquiritur: 2. ceterum quid Gentes eadem de Juris naturalis Obligativi capite aliquo, aut de simplici permissionis naturalis ratione ac universali ejus usu statuerint, ne quidem satis conjectari inde posse: eo quod, quicquid inest juris naturalis, cùm civili seu positivo atque populis inter se interveniente immixtum ac involutum sit. 3. apud populos reperiri mores circa ea, quæ sunt juris naturalis discrepantes, modo hoc, modo illud caput I. N. violari. in moribus introducendis ac jure sanciendo rationem utilitatis sæpe honesto præferri, consuetudinem sæpe simulare naturam, sive larvam naturæ induere, obligationis rationem hinc peti non posse, absque qua nullum jus sit. Verum quidem est, & à doctissimo Calixto prolixius ostensum, quod in multis totæ gentes legem naturæ contraria quadam lege aut consuetudine oppresserint. Et fieri posse, ut consuetudine prava rectæ rationis dictamen non exaudiatur, supra dictum est. Sed videtur *Seldenus* permiscere quæstiones diversas nec eodem pertinentes. Ait Grotius: *non certissima fide, sed probabiliter admodum colligi, juris naturalis esse id, quod apud omnes gentes, aut moratiores omnes tale esse creditur:* atque idem dicunt sententiæ memorabiles hic adductæ, nisi quod *Hesiodi* verba potius, quàm sensus *ex fine II. ἔργων,*

Theol. moral. de LI. p. 49. usque ad 59.

γων, huc inflectuntur. Hic de omnibus gentibus nondum cognitis frustra putamus sermonem suscipi. Satis enim morem hunc loquendi tuentur, qui olim & hodie ita locuti sunt. Sumsit *Grotius* hunc modum probandi ab ipso *Aristotele*, qui *jus naturæ* non semel à posteriore designavit, quod apud omnes homines peræque custodiretur, & de quo non aliter Persæ, aliter Græci, sed omnes eodem modo sentirent. Aliud autem est, quærere; an id, quod omnes gentes tale credunt, sit jus gentium, an vero jus naturale; cum quo incidere jus gentium multi veterum dixerunt. Non debet igitur cum hoc confundi jus gentium voluntarium: unde exempla non debuit repetere in hac quæstione *Seldenus*: Frustra, inquam, loquitur de *clarigationis, belli denuntiandi, aliisque juris fecialis capitibus subinde mutatis.* Nemo enim ita colligit: apud gentes moratiores in usu fuit, ut bellum solenni ritu & carmine ad fines aut intra fines denuntiaretur. Ergo hoc ut fiat, est juris naturalis. Hoc tantum sequitur: ergo ut testatio de injuria fiat sive satisfactio postuletur ante vim & arma, (nisi prior alter intulerit vim armatam) juris naturalis esse visum est. Modus non obverti potest, neque enim opus est naturaliter, ut literis certa formula conceptis, legatis missis, temporibus definitis res geratur. Ista sæpissime mutentur: maneat interim opinio de necessitate res repetendi, ut veteres loquebantur, id est, querendi

de in-

de injuria, & satisfactionem postulandi. Id quod fieri aliquando posset constituto in acie exercitu. Si enim tum auctor injuriæ satisfaceret læso, & læsus tamen armis sæviret, jus naturæ violaret. Atque id sensisse gentes moratiores plerasque, alibi ostendi potest. Hic vero non est subsistendum: sed videndum amplius, unde & cur gentes ita senserint. Nimirum, dictante conscientia, adeoque sensu Numinis Divini: id est, non sine agnitione imperii, adeoque obligatione. Ita reditur ab exemplo & consuetudine Gentium ad jus naturæ; quod Grotius voluit. De difficultate separandi positiva à naturalibus, nihil attinet disserere: contra Grotium quidem. Et constat, Hebræos in inquirendo jure naturali de moribus Gentium aliarum parum solicitos fuisse: non certe ob difficultatem separandi positiva à naturalibus, sed quod ex Scripturis, & plus plerumque interpretationibus magistrorum suorum, & traditionibus patriis, hanc quoq; philosophiam repetendam existimarent. Supersunt ergo duo genera hominum: Ethnici ipsi, primævæ antiquitatis rudes, sacrarumque literarum ignari aut contemptores; tum Christiani. Ethnicos sæpe uti hac illatione, ut natura debitum aut illicitum dicant, quod apud omnes aut plerasque gentes tale creditur: ex Historicis, Jureconsultis, Oratoribus, Poëtis, Philosophis, contestatissimum est. Sicuti & satis admirari nequeunt, qui perspicaciore oculo scriptores perlu-

ſtrant, quanta ſit eorum peritia & doctrina, in ſeparandis poſitivis, ab eo, quod naturale eſt. Atque hac ipſa ſecretioris eruditionis parte obſervanda explicandaque Grotius immenſum proceſſit: ſuoque exemplo eorum faſtidia & ignorantiam flagellavit, quibus parum volupe eſt, ex monumentis vetuſtatis requirere aut cognoſcere, quàm ſe DEUS Opt. Max. hoc quoque in genere apud Ethnicos non reliquerit ullo tempore ἀμάρτυρον. Chriſtiani ſane, qui & ſciunt, quibus præceptis jus naturæ ſeorſum etiam perſcriptum atque in Scripturis paſſim divinis illuſtratum ſit; quique in ipſis etiam legibus divinis poſitivis, id quod morale eſt, & ad legem naturæ pertinet, haud difficulter recognoſcunt, atque divinæ voluntatis regulam in poſitivis quoq; legibus, naturali legi ſcil. non repugnantibus, in omnia, quæ exoriri poſſunt dubia, ducem ac magiſtram habent; vix eſt, ut eruditione & induſtria adjuti fallantur, quotiens ex conſenſu, moribus, conſuetudine Gentium ad jus naturale demonſtrandum ſubſidia ac documenta conquiruntur. Quæ porro *Seldenus* de *uſu rationis incerto & inconſtanti* diſputat, (ea autem ſi valerent, modus indagandi jus naturale, etiam de priore, periclitaretur ſcilicet) partim ſatis ſive explicantur, ſive refelluntur per ea, quibus principium hujus diſputationis ipſe orditur: partim ad abutentes ratione homines non ad ipſam rationem pertinent; ſuntq; abunde diſcuſſa etiam à veteribus,

cap. 7.

quan-

quando crassiores quorundam Philosophorum sententias arguunt. Ne dicam de explicatione quarundam sententiarum falso Philosophis nonnullis attributarum: sicut in Epicuri & Platonis exemplis, eruditis notum est. Sed quid opus est ambagibus? si philosophi plerique, si gentes pleræq; viderunt ea facienda aut vitanda esse, quæ lex moralis, id est, lex naturæ denuo promulgata literis, fieri vitarive jubet, nonne rationis dictatu id viderunt? nonne rationis usus in his eos erudiit? id autem accidisse, larga copia exemplorum commonstrari potest. Manet igitur verum, quod cum totiens alii, tum in Therapeuticis *Theodoretus* extulit: τὰ ἠθικὰ μαθήματα πάντας ἀνθρώπους ἡ φύσις ἐπαίδευσε. διαπλάσας γάρ τοι τῶν ἀνθρώπων τὸ γένος ὁ ποιητὴς, ἐντέθεικε τῇ φύσει τὴν τῶν ἀγαθῶν καὶ τὴν τῶν ἐναντίων διάγνωσιν. ὅθεν οὐ μόνον Σωκράτης, καὶ Πλάτων, καὶ Ἀριστείδης ὁ Λυσιμάχου, καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν ἑλλήνων τὸν ἄδικον ἐβδελύξαντο βίον, ἀλλὰ καὶ τῶν βαρβάρων πολλοί. *Disciplinam moralem natura ipsa omnes homines edocuit. Cum enim Creator hominum genus formaret, insevit natura bonorum malorumque notitiam & discretionem. Unde non tantum Socrates, Plato, Aristides Lysimachi filius, & Græcorum alii, sed etiam barbarorum multi injustitiam sive vitam juris studio & cura carentem abominati sunt.* Qua de caussa? quia scilicet statuerunt, Deum esse auctorem juris naturæ insiti & latorem, & si violaretur, vindicem. Nunquam enim hic recta ratio jubens honesta, & vetans contraria, sine imperio Di-

Tom. 4. ser. 12. pag. 669. edit. Paris.

vini Numinis accipi debet : sicut vel *Hesiodi* locus §. *praecedente* à Grotio laudatus, ostendit. Cui plurima consimilia erudite consignavit, & cap. 2. pr. auctoritate Patrum illustravit ipse *Seldenus*. quae scilicet obligationem (sine qua nullum jus intelligi dicitur) in ambiguis esse non patiuntur. De inferorum metu supra diximus : addas licet, quae de sensu divinae providentiae, de conscientia, Ethnicis non ignota, huc pertinent.

§.XIV. Jus humanum voluntarium dividit in *jus Gentium*, *civile*, *civili arctius*, ut patrium, dominicum, & similia. De postremo hoc genere juris supra ex Aristotele aliquid diximus, qui hoc facit jus per similitudinem dictum. Et notandum est : juris naturalis accurate loquendo esse, parere parentibus ac dominis; adeoque auctoritatem jubendi, in parentibus & dominis. Nobis non tantum ex repetitione legis naturae in Decalogo istud manifestum est : sed etiam Ethnici ita senserunt. Unde l.veluti.2. D. de justit.& jur. *Pomponius* à jure gentium primaevo, id est, naturali repetit obedientiam parentibus debitam. Et praeceptum de honorandis parentibus, deque obedientia illis debita, etiam ex Pythagorae mente, divina (naturalis scilicet) lex est. Quare *Michael Ephesius*, cum exempla ad 5. Eth. 10. praeceptorum juris naturalis ad *Textum Aristotelis* ponit, usitatam veterum consuetudinem secutus, τῷ σέβειν τὸ θεῖον conjungit τὸ τιμᾶν τὸν πατέρα ϰ̀ τὴν μητέρα. Quo & illud *Homericum* Aristoteli laudatum pertinet : 1. polit. 1.

Θεμι-

—— θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
παίδων ἠδ' ἀλόχων,

Dat liberis, dat conjugi jus quilibet.

Atq; hoc jus quomodo civili subditum sit,aut non sit, suo loco disquiretur. *Jus Gentium* in divisione juris non *Carneades* tantum omisit, sed etiam *Aristoteles*, & veterum alii. Ut mirum non sit, si ex junioribus multi eruditi viri, contenti sint distinctione illa πολυθρυλλήτῳ *Juris naturalis & legitimi, seu civilis : Gentium* autem *jus* interdum quidem naturali, interdum civili congruere ; In civili porro fieri, ut idem jus apud plures gentes obtineat, idque *civile plurium populorum* merito appellari, existiment. Jus Gentium cum jure naturæ, à bonis scriptoribus sæpe permutari, supra dictum est. Addatur celebris locus *Ciceronis ex tertio Officiorum. Itaque majores aliud jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt. Quod civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet.* Sensus loci, ad quem non usus obhæsit, hic est : Eam semper de jure fuisse sententiam, ut aliud haberetur naturale φυσικὸν (quod hic jus gentium, ut & alibi, dicitur) aliud civile, νομικόν. Inter quæ discrimen manifestum, & pro discrimine ordo auctoritasque. Quod enim jus civile sit, illud non statim pro jure naturali habendum, sive auctoritate juris naturalis donandum esse : quippe civili legislatione multa constitui, quæ nec in se, nec semper justa haberentur, sed ex re nata sæpius mutarentur. Quod autem sit cap. 17.

 juris

juris gentium sive naturalis, illud apud omnes civitates eandem & imutabilem auctoritatem obtinere, eoque nomine vim & potestatem juris civilis quoque habere, sive civile quodammodo & esse & dici posse. Omnes enim gentes, omnes civitates obligat; & exempla naturæ ac veritatis optima exhibet, unde jus civile, seorsum sic appellatum, propius, remotius, accuratius, securius, derivatur. Adeo, ut, si nullum jus civile seu legitimum esset, jus istud naturæ tamen civitates gentesque obligaret, & civile (πολιτικὸν) esset. Conduci huc debet, non quidem παραλληλισμῷ εἰς πάντα ἁρμοδίῳ, sed in parte explicationis, Aristotelica dictio: qui & ipse *jus* πολιτικὸν (*civile* vertunt, sed significat hic latius, scilicet, *quo societas & communis vitæ usus continetur*, ut verbis Ciceronis παρεμφερῶς *Joachimus Camerarius*) distinguit in *naturale*, & *legitimum* seu civile strictius sic dictum. Jus naturæ semper est sociale, societatisque omnis humanæ coagulum. Igitur πολιτικὸν merito & habetur & dicitur. *Jureconsultorum* sententia vix obstare potest ullo modo iis, qui διχοτομίαν probant. Nam *jus gentium primævum* apud ipsos non est aliud, quàm naturale, sive id, quod tum aliis, tum interdum ipsis naturale dicitur. *Jus gentium* vero *secundarium*, non tam inventione & auctoritate gentium inductum intelligitur, quàm usu, quem ceteris gentibus cum Romano populo communem esse voluit Romanus legislator. Quæ ratio jus civile, accu-

ad V. Eth. Arist. cap. 7. p. 231.

accurate loquendo, non jus gentium constituit. *Seldeni Jus Gentium imperativum & interveniens*, extra hypothesin disciplinæ Hebræorum vix ullum habet usum. *Grotius* singularem in jure gentium explicando diligentiam professus est. Valde autem vereor, ut vel ipse vel quisquam alius possit inoffenso cursu hoc stadium decurrere: quin semper eo redeatur, unde discessum oportuit. Si enim id spectamus & describimus, *quod omnium gentium moratiorum voluntate in legem ivit*; modum considerandi jus naturale, non rem ipsam mutavimus. Et supra fassus est Grotius, à posteriore ita probari jus naturæ. Quid potest aliud excipi, quàm si dicas: de voluntaria consensione gentium hic sermonem esse, non de dictatu rectæ rationis & imperio Divini Numinis necessitatem inducente? Id vero demonstrare, fortasse non tam factu pronum. Vel enim res est talis, ut omnino eam natura & ratio jubeat vetetque; ubi non recte *voluntarium* istud, quo à naturali divino jure ante distinguebatur, adhibebitur: vel non versatur in re *omnium* gentium moratiorum voluntas. Quare mox substituit *Grotius* vocem *multarum*. Nova difficultas. Quærendum est enim: *an illa multa gentes pactione aliqua induxerint atque sibi commune invicem fecerint tale jus: an vero per imitationem ab una gente ad aliam, atque ita tandem ad multas jus istud pervenerit*. Posterior modus, qui potest impedire, quin sit & maneat tale jus, plurium gentium jus civile?

Prior modus, qui solus idoneus est ad faciendum jus gentium, à gentibus scil. constitutum, quàm sit demonstratu arduus, idoneis locis attingetur. Aperta certe pactio vix apparebit: igitur ad tacitam confugiendum erit. *Vasquius*, quem in *annotatis* pro se adducit Grotius, fatetur: *ea omnia, quæ sunt juris gentium, prius fuisse juris tantum civilis, sed paulatim serpsisse aut velociter transvolasse ad reliquas gentes & regiones, sicque cum primum ab uno vel altero homine vel regione inventum quid fuisset & receptum, tunc juris tantum civilis non etiam juris gentium id esse. Verum postquam eo jure omnes omnino aut pleræque aliarum gentium uti quisque cœpissent, jam juris gentium effectum videri, inque jus gentium conversum & transformatum. Quemadmodum & ex diverso, si id quod hodie juris gentium est, in desuetudinem abire forte cœpisset, ita ut penes unam tantum provinciam maneret, sine dubio juris gentium esse desineret, & jam juris tantum civilis esse diceretur, h.e. illius civitatis vel regionis, penes quam adhuc id jus perduraret.* An ejusmodi μεταμορφώσεις tam facile eveniant, quàm dicuntur, non inquirimus. An vero Grotii ad mentem ista opportuna sint, non injuria dubites. *Vasquius* de jure gentium secundario Jureconsultorum loquitur: Grotii jus gentium, cum illo non est idem. Considera loca notabilia *Lib. II. c.3.§.5*: *Quod si quis dicat videri jus gentium esse, ut id liceat, respondebo: etiamsi aliqua parte orbis id communiter ita receptum sit aut fuerit, non tamen habere VIM PACTI*

Contr. Ill. lib. 2. c. 54. §. 4.

inter

inter gentes, *sed esse jus civile plurium gentium distributim*, *quod à singulis tolli potest.* *Et alia multa sunt*, *quæ juris gentium vocant jureconsulti*; *ubi de rerum divisione & acquirendo dominio agitur*. Et *Lib.II. cap.8. §. 1. & 26.* Quod si *jus gentium*, ut à naturali distinguitur, *respicit utilitatem non cœtuum singulorum*, *sed magnæ illius universitatis*, adeoque humani generis, sicut in *Prolegomenis* Grotius monet, miro & Archimedeo artificio opus erit, quo evincatur & discernatur, Gentiumne juri potius, an naturali tribuenda sint, quæ ad eum modum describuntur. *Cicero* enim & doctissimus quisque veterum juris naturalis id officium asserunt. Id enim & sociale est, & societati ac communitati humani generis continendæ divinitus destinatum factumque. Multo magis id sentient, qui meminerint, *jus gentium* à Grotio, ut immutabile describi, locis indicatis. Ut enim jus immutabile inter plerasque gentes habeatur, non aliunde potest effici, quàm uel auctoritate divina, qua jus naturæ censetur, vel pactione disertis verbis inita. An deinde utilitas ad plerasque omnes gentes pertinens, aliunde quàm ex communi illa & vere humana societate adeoq; jure naturali deduci possit, non est nulla dubitandi caussa. Plurium civitatum gentiumque utilitati & tranquillitati aliqua jura legitima convenire & ex pacto accommodari posse, credideris: at omnium populorum usui & paci una lex naturæ moderatur. Ita periculum est, ne significatio juris

gentium

gentium recidat ad debilius istud & ab accurata hujus loci philosophia removendum genus, quod in imitando & mutuando communicandoque jure civili versatur. Unde & consensio quædam gentium, quamquam alterius loci, prodire videretur. Sed absolvetur hæc disputatio in exemplis, subinde occurrentibus.

§. XV. *Usque ad finem* de *Lege divina* disserit. Cujus onus disputationis validiores postulat humeros: & ad Theologorum scholas pertinet. Dubitandum enim non est, quin Grotius,ut plerumque in re Theologica, incautius quædam protulerit: quæ, cum de mente ejus etiam aliunde constet, cur commodius, quàm ipse intellexit, explicari debeant, forte caussam non reperias. Diximus aliquid in *Præfatione.* Et quis stilum S. Scripturæ & bonæ interpretationis leges doctus, illud, *Audi Israel,* universe, citra discrimen argumenti ad Hebræum tantum populum accommodaret? Neque illud satis caute dictum est, *nulla parte legis Hebraa, qua lex est proprie, nos obligari.* Non dicam de iis, quæ in legibus Mosaicis forensibus & ceremonialibus moralia insunt, legis nomine & vi nequaquam defraudanda: quàm sunt non levia, quæ ab ipso Deo in alterutram partem lege Hebræa definita, migrare non audeant, qui auctorem legis & rationem agnoscant? De
Ep.I, 107. perfectiore lege Novi Fœderis, jam olim *Isidori Pelusiota* gravissimam verissimamque sen-
ten-

tentiam laudavimus : *ὅτι καινότητα δογμάτων οὐδεμίαν τῷ νόμῳ καὶ τοῖς προφήταις ὁ τοῦ Θεοῦ υἱὸς εἰσήγαγεν.* *Quod novitatem doctrinæ nullam legi & Prophetis Filius Dei superinduxerit.* Et mirum sane est, virum tam eruditum non animadvertisse, vel in eo, quem eruditionis nomine admirari in toto Patrum choro fas est (*Theodoretum* dico) quid sibi vellent illiusmodi locutiones. In *Therapeuticis* quidem, ubi de legibus agit, quotiens totam Evangelii doctrinam, Christique disciplinam, *legem* vocat? Serm. 9. Quis tamen inde Evangelium cum lege confundendum dicat? Omnium autem clarissima est illa disputatio adversus Marcionem, qui Deum legislatorem in V. T. *justum*; Christum autem in N. T. inhibentem, quod lex V. T. permisisse videbatur, *bonum* tantum existimabat. *καὶ οὐ συνεῖδεν, ὡς ἡ τῶν εὐαγγελικῶν νόμων ἀκρίβεια τῆς Μωσαϊκῆς ἐστὶ φοβερωτέρα νομοθεσίας. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ὁ νόμος ἀπαγορεύει τὸν φόνον, ὁ δὲ τῶν εὐαγγελικῶν καὶ τῷ μωρὸν καλοῦντι τὸν ἀδελφὸν τὴν γέενναν ἀπειλεῖ. πᾶς γάρ φησιν ὁ λέγων τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ μωρὲ, ἔνοχός ἐστιν εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός. οὕτω πάλιν ὁ παλαιὸς νόμος τῆς μοιχείας κατηγορεῖ, ὁ εὐαγγελικὸς δὲ καὶ τὴν διὰ ὄψεως ἀσελγοῦς εἰσδυομένην, μοιχείαν καλεῖ.* αἱρετικ. κακομυθ. lib. 5. cap. 16. &c. *Et non novit*, inquit, *quod legum Evangelicarum perfectio legislatione Mosaica terribilior sit. Nam illa quidem lex* (Mosaica) *cædem prohibet : sed Evangelicorum lex ei, qui fratrem vocat stultum, gehennam minatur. Omnis enim qui dicit fratri suo, stulte, reus erit gehennæ. Rursum : lex vetus incusat adulterium : Evangelica*

lica vero lex, etiam turpem concupiscentiam, quæ lascivo aspectu insinuatur, adulterium vocat. Sequitur: *de periurio in V.T. vetito, in N. etiam jurejurando:* de *divortiis olim permissis in N.T. vetitis:* de *verbo otioso*, & similibus. Disputavit hæc, ad hominem; & ut stulto secundum stultitiam suam responderet. Quis enim est, qui nescit, lege V.T. omnem non modo cædem, sed iracundiam & convitia; nec modo adulterium, sed concupiscentiam quoque animi, & oculorum lasciviam, in vetitis fuisse.
II, 13, 21. De jurejurando interdicto, ipse certe *Grotius* in alteram partem concedit. Et de *divortiis*
ad II, 5, 9. quasi olim permissis, *infra* agetur. Possent fortasse hæc homini cuivis moderato satisfacere. sed refutet directa viâ objectionem ipse, qui ex mente Marcionis attulit *Theodoretus*; graviter testatus: stulte & frustra hæc talia afferri: ἀλλὰ καὶ τὸ ταῦτα λέγειν, μανία σαφής. *Sed ista quidem dicere*, inquit, *manifesta insania est.* ὁ γὰρ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις διαγορεύσας τοὺς ἐχθροὺς ἀγαπᾶν, καὶ ἐν τῷ παλαιῷ προσέταξε νόμῳ μὴ περιιδεῖν τοῦ ἐχθροῦ τὸ κτῆνος πεπτωκὸς ὑπὸ τὸν γόμον, ἀλλ' ἐπαμῦναι, καὶ μὴ μνησθῆναι τῆς δυσμενείας ἐν τῷ χρείας καιρῷ. κτλ. *Qui enim in Evangeliis jussit inimicos diligere, ille ipse etiam in veteri lege præcepit, etiam inimici jumentum, quod oneri succubuisset, non negligere, sed sublevare, nec inimicitiarum tempore necessitatis meminisse.* Adjiciuntur alia: de *bove errante reducendo ad dominum:* de *humanitate etiam adversus bruta, exemplo bovis triturantis:* & *avium parentum*, & *quietis etiam*

brutis

brutis die Sabbati concedenda : de *advenis & proselytis non affligendis* ; de *spicilegio viduis & pupillis destinato* : de *captiva leniter & sancte habenda*. In *capitibus* autem *sequentibus* amplius ostendit : unum esse legislatorem, unam eandemque legis in V. & N. T. perfectionem : nisi quod, exempli caussa, abrogatis circumcisione, sacrificiis, aspersionibus (hæc cærimonialia scilicet, imperfectiora appellantur) perfectiora substituerit Christus, quando jam in corpore exhibebantur, quæ umbra corporis prænotaverat. Etiam illud haud raro declarant Theologi veteres : In tanta luce N.T. non esse fas morem Hebræorum in V.T. imitari, qui perfectissimæ sanctissimæque legis vigorem suis interpretationibus ad umbram plerumque retulerint, & de litera potius legis, quam de virtute soliciti fuerint: præteriisse tempora, quibus Deus istos mores toleraverit; nullum jam umbratili philosophiæ locum esse reliquum, postquam in ipsius Christi officio & satisfactione, quid & quantum lex exigat, resplenduerit, hominesque sic ad perfectionem legis agnoscendam, ut implementum legis in Christo amplectendum extimulaverit. Est etiam de *perfectionibus Evangelicis*, quæ vocantur, inter eruditos sermo : de quo in tempore. à c. 16.

Titulum Thalmudicum de Rege, falso & frustra citari, §.XVI. ostendit eruditissimus *Wagenseilius*. Sicut & illud : *contrarium ejus*, quod dicit Grotius, *circumcisionis lege totam Abrahami*

hami posteritatem teneri, & Idumaos à Judæis ad id coactos, apud Maimonidem reperiri. De *Proselytis, Idem*; sed præsertim *Seldenus* copiose *lib.II*, qui etiam de *Sabbato* (ad §.XVII.)
De I. N. & G. *lib. III. cap. 9. & seqq.*

In

LIB. I. CAP. II.

An unquam bellare liceat.

JUS naturæ non repugnare omni bello; probat *rationibus* §.I. *historia* §.II. *consensu* §.III. *Rationes* §.I. sumuntur *partim* à primis naturæ, *partim* à ratione sociali, sive natura sociali. *Prima* illa *natura*, τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν à Stoicis diligenter tractantur, & cum consequentibus subtiliter connectuntur: sicut vel ista *Ciceronis* dissertatio, quam Grotius laudat, ostendere potest *libro III. Finium cap.5.6.7.* cui addi potest locus παράλληλος *II. Fin.* II. *Prima* naturæ, etiam *principia naturalia*, *principia natura*, *initia naturalia*, *initia*, *prima conciliationes* ibidem dicuntur. Quamquam autem ὁρμὴ, & instinctus naturalis hic intelligatur, à nullo animali alienus: tamen aliter considerantur *prima natura* in homine, aliter in reliquis animantibus. Unde *Cicero* sane ὁρμὴν & appetitionem non ad quodvis vitæ genus, sed ad vitam rationi consentaneam sive convenientem, à natura datam esse, ad mentem Stoicorum disputat. Cumque ad conservationem sui prima naturæ animal instigent: *primum*
cap. 6. quoque hominis *officium est, ut se conservet in natu-*

naturæ statu; deinceps, ut ea teneat, quæ secundum naturam sunt, pellatque contraria. Adeo ergo hic concurrit ratio naturalis sive socialis cum primis naturæ, ut sola cogitatione separari queant. Imo ratio, prima naturæ in homine in eum habitum format, ut hominis esse videantur. Concurrit scilicet cum primis naturæ lex naturæ, & institutum ratio excipit perficitque ac denominat. Quo fit, ut prima naturæ, non determinata per rationem, nullum hic locum haberent, quando de jure quæritur. Jus enim cum brutis commune non agnoscit *Grotius.* Quem *Feldenus* propterea accusat, quod oratorio potius quàm philosophico instituto, huc prima naturæ convocaverit. Sed aliud est, jus homini cum brutis commune agnoscere: aliud ab illis initiis, & appetitu sensitivo naturæ animalis, comparatione quadam instituta & gradibus ad convenientiam illam naturæ rationalis procedere. Ita Jureconsulti Veteres, ita Philosophi, & in Miloniana Cicero existimarunt, non absurdum esse, si à primis naturæ, non quidem ad rationem juris, qua jus est (quod in consequentibus prima naturæ unice cernitur) sed in ordine quodam doctrinæ paulatim ad ea, quæ naturæ rationali & sociali propria sunt, ascendatur. Ratio igitur argumentandi non est hæc; Non repugnat hoc primis naturæ, ergo justum aut non injustum est (ratio enim justi injustive non inest primis naturæ) sed hoc modo, hoc non repugnat primis na- cap. 6.

 turæ,

turæ, sive huic non repugnant prima naturæ, quibus nec ratio obicem hic ponit, sed potius illum instinctum probat, præcipit, determinat, & societatis respectu temperat; ergo non injustum censendum est, quod à primis naturæ (ad animalem naturam spectantibus) monstratum, à natura rationali & sociali determinate præcipitur aut permittitur. Conservatio sui etiam reliquis animantibus curæ est per instinctum naturalem & appetitum sensitivum, quem in hominibus prima naturæ vocant: sed non determinatur ab ipsis (animantibus brutis) aut in ipsis ad naturæ rationalis & socialis convenientiam, quæ ad prima naturæ consequitur in homine. Quare prima naturæ illustrare quidem fas est exemplo reliquarum animantium (quod Grotius *h.* §. *& in annotatis* fecit) modo determinetur ad qualitatem moralem justi injustive per dictamen rationis in natura rationali & sociali. Sine omni figura esse hoc genus disputandi, nemo dixerit: sed quam exempla omnis ævi tueantur.

Sententia *Ciceronis, sub fin.* §. *I. ex officiis I,* 11. ostendit, quod hic maxime attendendum est, naturam humanam seu rationalem nequaquam ferri ad bellum, nisi κατὰ δεύτερον πλοῦν, ut in Græcorum proverbio, sive per modum subsidii, id est, si pax & societas, ejusque vinculum jus, aliter quàm bello servari aut obtineri nequit: sive, ubi bellum, unum & solum superest instrumentum socialis status jurisque tutandi.

Lice-

Licebit adjungere hic enumerationem communissimorum Juris naturæ capitum, à *Petro Gassendo*, ita factam, ut testimonio esse queant, quomodo cum *primis naturæ animalis* aliquam necessitudinem habere videantur, quæ tamen ut *prima naturæ humanæ*, id est, ut justa naturalia, sive leges naturæ recensentur. *Primo itaque*, inquit, *communissimum innatumq́; adeo omnibus hominibus est, ut quod bonum, quod commodum, quod gratum fuerit, prosequantur.* Ex hoc fonte deducit: benefactores grato affectu prosequi, malefactores repellere: parentes amare, Deum colere, bellare & certare repellendi mali caussa. *Secundo, ut quisque se amet plus quàm ceteros, seu ut sibi bene, quam alteri malit.* Hinc illa deducit: tribuere cuique ea, quæ sunt accipientibus utilia, danti non molesta. *Tertio, ut vitam producere, & membrorum ac sensuum, facultatumq́; omnium integritatem ac usum liberum quisque velit.* Huc refert conjugium, procreationem ac educationem liberorum, & similia. *Quarto denique, ut sociabiles sint, seu ut in societate degant.* Hinc obsequium legibus civilibus debitum repetit. Fortasse & hæc annotatione opus haberent: sed quo allata sint consilio dixisse sufficit. Phil. mor. p. 1555. edit. prim.

§. II. De Abrahami bello non omnes idem sentiunt, quod Grotius. Et sane, quæ adde §. 5. singuli aut populus Dei egit illis temporibus, quibus oraculo divino moneri, regi, juberi solebant, propius esse, ut Deo auctore facta credantur, multi existimant. Silentium certe

Scripturæ, non trahit momenta rei in alteram partem. Sed hæc in transcursu.

Ad *historiam septem populorum*, cujus meminit, requiri debent, quæ de *Bello præcepti*, & *Bello ultroneo*, apud Hebræos, consignavit *Seldenus de I. N. & G. lib. V. cap.* 12.

Contr. III. lib. 1. cap. 9. §. 5. §. IV. Parum pro philosopho se gerit, in hac quæstione, id est, in bello à jure gentium deducendo, *Fernandus Vasquius*; cum ait: *Bella inventa sunt, non dispositive, ut quidam arbitrati fuerunt, sed causative & occasionaliter; quia jus gentium non statuit bella, sed ex quo distincta fuerunt dominia rerum, insurrexerunt etiam bella.* addit: *mera cupiditas & libido,* §. 7. *& infausta illa pronomina, Meum & Tuum*, bella genuerunt. Hæc inspecta, satis & ultro displicere eruditis possunt, nec explicatione opus habent. Nam quæ perspicua sunt, longa esse non debent. An vero hæc, quæ de jure gentium hic dicuntur, non debeant referri ad jus naturale, quod & jus gentium dicitur, solennis, ut ante diximus, esse potest dubitatio. de I. B. lib. 1. cap. 1. neque aliter explicare videtur doctissimus *Albericus Gentilis*.

§. V. Quomodo Judæi judicia capitalia ex loco Gen. IX. (de quo etiam *Seldenus* videndus *de I. N. IV*, 1.) adstruant, unde alii impugnare conantur, demonstrat *Wagenseilius* noster. *Idem*, qui de caussa supplicii Thamaris ad locum Gen. XXXVIII, 24. disquirit.

De illis verbis, *id quod naturaliter licitum videbatur Deus edicto repressit*, deque illa *Caini*

historia

historia disquisivimus in *Dissertatione de Judiciis.* De *Lamecho* Gen. IV, 24. vide *Simeonem de Muis tom.* 2. *p.* 13. & 14. p. 69. &c.

Versus quatuor *Euripidis ex Oreste* rectius à v. 512. eo valerent, ut cædem cæde, sanguinem sanguine expiari privato ausu, nunquam licuisse testarentur. Non tam, quod mites pœnæ antiquis placuerint (id enim alibi dicendum est) aut quod nefas universe haberetur, hominem interfici: sed quod, hoc modo i. e. à privato, indicta caussa, citra auctoritatem judicii, hominem occidi, antiquitus injustum crederetur. Id enim in sua oratione, unde hi versus sumuntur, *Tyndarus* clare disputat. *Scholiastæ Græci paraphrasis versuum*, qui illos sequuntur, digna est, quæ adscribatur: διόλου γὰρ ἀπέκειτο ἐνέξεσθαι ἤγουν ἔνοχος ἔσεσθαι τοῦ φονευθῆναι. ---- εἷς δὲ φησὶν ὁ πρὸς τῷ τέλει ἔμελλεν εἶναι μεμιασμένος ὕστερος, ὁ μηκέτι ἔχων μεθ' ἑαυτὸν ἄλλον, οἷον εἰς ἕνα φονέα κατὰ διαδοχήν, καὶ οὐδείς ἐστι μύσους αἴτιος ἐν ᾧ φονεύεσθαι μέλλει, εἰ μὴ εἷς, ἐκεῖνος μέντοι ὁ μὴ φονευθησόμενος, μεμιασμένος δὲ, ὁ πρὸς τῷ τέλει. *Nimirum si jus fuisset, cædem cæde privatim ulcisci, omnino in infinitum processisset cædes: cui semper aliquis fuisset obnoxius. ---- Ita futurum erat, inquit, ut unus, id est, ultimus tandem pollutus facinore maneret, qui post se non haberet alium interfectorem, in quem quasi successione cædes transmitteretur: neque jam esset caussa odii aut vindictæ in occidendo eo qui unus esset. Igitur is equidem (ultimus ille, inquam) non occideretur, piaculo tamen obligatus sive pollutus aut consceleratus esset.*

 Ait

Ait Grotius: *Inter ea autem, quæ Noæ liberis Deus edixit hoc quoque ajunt fuiſſe, ut non homicidia tantum, ſed & adulteria, & concubitus inceſti, item violentæ rapinæ morte punirentur.* Quod doctrinæ Talmudicæ non eſſe conſonum, oſtendit *Seldenus lib. VII. de I. N. & G. cap. 5.*

p. 806. edit. Londin.

§. VI. Quæſtionem de lege, totiens repetitam poſtea, diſertis verbis, proponit. Qua de re conſulendi ſunt Theologi. Nobis ſatis ſit annotaſſe illa, quæ legis *ad* §. *XV. capitis præcedentis.* De *divortio*, & aliis exempli loco allatis, ſuo loco. Etiam quæ §. *VII. & VIII. & IX.* pro bello, aut contra illud afferuntur, accuratius à Theologis excutiuntur. Quantum ad Hebræos attinet, eximia ſunt, quæ *Wagenſeilius noſter* congeſſit. Totius voluminis materia eſſe poteſt, quod §. IX. erudite concluditur. Dum enim Chriſtianorum hac in re ſententia exquiritur, *primo* ad ſingulorum Doctorum ſententias itur: *deinde* totius Eccleſiæ ſenſus exploratur. In *priore parte* præmittitur reſponſio triplex *adverſus auctoritatem Patrum militiam improbantium*, 1. quod ſint privatæ ſententiæ, & quidem eorum, qui à ceteris diſſentire ſolebant (ut Origenes & Tertullianus fecerunt) neque ſic tamen ſemper idem dicant. 2. Quod Chriſtiani aliquando militiam evitaverint, non ut militiam, ſed ut religioni Chriſtianæ, propter quædam idololatrica, quæ vitari non poterant, adverſam. 3. Quod averſatio militiæ, ſi qua fuit, ad feruorem primævo-

rum

rum Christianorum & sublimius propositum referenda sit. His præstructis ostenditur, *Patres militiam probantes Patribus militiam improbantibus opponi posse*; allatis testimoniis Clementis Alexandrini, & (qui hoc nomen vulgo tulit) Clementis Romani. In *posteriore parte*, relictis privatis auctoritatibus, testimonium Ecclesiæ militiam non omnem improbantis hinc ostenditur: 1. quod neque Baptismo, neque Communione Ecclesiæ exclusi sint militantes. 2. Quod milites Christianæ religionis ergo cruciati, ceteris martyribus æquiparabantur. 3. Quod sub Christianis Imperatoribus, ut supplicia capitalia, sic militia, obtinuerit, neque à quoquam Episcopo aut Theologo reprehensa sit. 4. Quod Concilio primo Arelatensi canone tertio militia probetur. 5. Quod exempla Christianorum militum passim referantur & probentur. *Objectio* duplex, *prima* quidem ex Canone XII. Synodi Nicænsis, ita repellitur, quod de pœna eorum tantum agatur, qui ad militiam non sine apostasia redierint: *altera* autem, ad correctiones Ecclesiasticas, & injuncta sanctioris instituti specimina refertur. Nam *tertia* de vacatione militiæ Clericis concessa, judicio totius fere Christianitatis; nullam habet difficultatem. *Interjiciuntur* & explicantur quædam dubia: cur Christiani antiqui non libenter interfuerint judiciis capitalibus, aut pro reis capitis deprecati sint, aut noxios asylo Ecclesiæ receptarint.

In *Prolegomenis* ante dixerat Grotius de instituto nonnullorum Christianorum, *Feri*, *Erasmi*, & antiquorum, omne bellum aversantium & Christianis interdicentium. Bono sane credimus eos consilio fecisse; sed periculoso. Semper, inquam, periculosum est, vera abstrudere, ne iis homines abutantur. Occultata enim, & post animadversa veritas, licentiam & libidinem incendit, ac suspiciones etiam adversus seria & vera auget. Verum id quidem in tanta luce rerum disserere, esset otio & patientia lectoris abuti. Dicam tamen, quod vix crederem, nisi compertum haberem ex memoriis, rerum nunquam in vulgus edendarum, certissima fide traditis. Ibat in extrema annus Platonicus, & de revocandis ad pacem & concordiam plurimis passim gentibus strenue consilia agitabantur. Sed habuit negotium tot tricis implicitum moras, & impedimenta, & metus in futurum non modicos. Qui easdem, in negotiatione concordiæ mundi, partes tuebantur, in diversa tendebant: nonnullis tempora decernendi opperientibus; aliis primum quodque tempus optimum esse, incertum, an amore pacis, contendentibus. In quo cum frustra aliquandiu fuissent, induxerunt hominem mira facundia præstantem & Principi suo tum apprime gratum: qui multis cum lacrymis, nefas esse Christianis bellare adversum Christianos disserens, quo bello finis imponeretur, infimas obtestationes, preces, gemitus, præsagia & quasi vaticinia tam poten-

potenter miſcuit, ut in omnem partem Principis animum verſare videretur ac diſtrahere. Ita lento negotio ab illa parte incitamentum & ſucceſſus contigit. Conſtat hac de re non ſegniter diſputatum eſſe : an ex officio viri ſapientis, & boni civis eſſet, ſuo Principi perſuadere velle, quod orator falſum eſſe ſciat & credat : an procul à negotiatione poſitus, & rationes aliter ſentientium non edoctus, immiſceri, imo partes profiteri in negotio aliis commiſſo deberet : an, ut ethnicis ſolitum fuit, ita Chriſtianis liceret, quemquam hominum, nedum Principem religione infatuare; & in re tam ſancta hiſtrioniam agere : an credere potuerit Orator, vel ante, Principem tantæ prudentiæ crediturum perſuaſoriis aſſertionibus; vel poſt, credidiſſe : an oblivisci potuerit orator, quod omnis ævi experientia affirmat; Principes incallidos tolerare quidem interdum hypocritas, at prudenti Principi neminem hypocritam inter fida miniſteria reputari. Pauci contra diſſerebant : paci ſemper & ab omnibus conſulendum : ſemper Principis commodo ſtudere, qui eum à bellando revocet : in juſto quoque pioque bello atrocia & cotidiana peccari: nullis utilitatibus victoriæ eas flagitiorum ſordes, quæ bellum comitantur, elui : cetera conſiliarios partitim decere ; pacem ſuadere cujuſuis eſſe, qui occaſionem & aditum nactus fuerit : eventu magiſtro compertum, humanique generis commodis perſpectum, ſupra

omnes sapuisse, qui præter omnium sententiam, paci maturandæ, ancipitem forte, sed, ubi alia deficerent, necessariam rationem excogitasset. Judicet, qui volet, qui potest. Mihi certum est, ad hoc genus subsidiorum, nulla pietatis, nulla prudentiæ necessitate, quemquam utriusque laudis peritum unquam compelli posse. A bello suscipiendo Principem retrahere, ad bellum finiendum permovere, quanta vi argumentandi, quo hortatu, qua copia instructuque, citra omnes ambiguas ambages, & declamationum præcipitia, poterit verus & Christianus orator? Sed quo dilabor: redeundum est ad viam, & ad

CAP. III.

Quo bellum dividitur in publicum *&* privatum, eaq; occasione *summum in civitate imperium explicatur.*

§. I. Bellum publicum definit, *quod auctore eo geritur, qui jurisdictionem habet.* Bellum publicum solenne §. IV. describit, quod *geritur certo ritu, auctore eo, qui summam potestatem habet in civitate.* Sub finem §. V. indefinite repetit: *Bellum publicum geri non debere, nisi auctore eo, qui summam potestatem habeat.* Induit se hic *Grotius* in aliquas tricas. Sicut non abs ratione etiam *Feldeno* visum est. Putet aliquis, *juris-*

jurisdictionem à *Grotio* cum *summa potestate*, more vulgari, permutari: sed non ea est caussa, cur jurisdictionis vocabulo usus sit; verum ut in *bello publico* etiam illud haberet locum, quod geritur auctoritate magistratus non habentis summam potestatem. Interim, quia summa potestas in priore illa definitione excludi nequit, jurisdictionis vocabulum non satis commode usurpabitur. Vel enim cum junioribus summam potestatem notabit (quod à *Grotii* mente alienum esse constat) vel summæ potestatis eam partem notabit, quæ jus dicit: atque ita rursus à scopo declinaretur. Summa potestas enim gerit bellum publicum, etiam in eos, in quos non habet jurisdictionem, & eo actu, qui non potest appellari accurate loquendo jurisdictio. Sicut postea noscetur. Rectius & magis è more philosophi dixisset: *Bellum aliud est publicum, aliud privatum. Publicum est, quod gerunt ille vel illi, qui habent summam potestatem: idque vel per se, vel per alios, ut magistratus, præfectosque: qui id faciunt, vel ex formula mandati, & magistratus, vel ex conjectura voluntatis ejus, qui habet summam potestatem, de qua quæritur: licitane sit unquam, aut in quantum? Bellum publicum aliud est solenne, aliud minus solenne.* Ubi non est dubitandum, illud quoque solenne dici, quod gerit indicitque Satraparum aliquis, cui summa potestas id facultatis in formula imperii commissi concessit. Hæc plana fuerint & expedita.

Porro

Porro & h. §. & seq. origo belli inde arcessitur, ubi judicia desinunt. Desinere autem sive defieri judicia intelliguntur non in eadem tantum civitate modis, qui hic explicantur, sed & inter diversas civitates, quæ nullum tribunal humanum agnoscunt. Nil ergo aliud, quàm quod res est dicunt, qui *bella ex hypothesi justa esse* censent, *si per judicia consequi jus nostrum nequeamus.* Frustra obvertit hic *Grasvvinckelius* Ciceronianum illud, de duobus decertandi generibus, neque *judicia* cum *disceptatione* permutari (quippe cum disceptatio sit inter diversas civitates, inter quas non sunt judicia) contendit. Ait *Cicero: Cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim; cumque istud proprium sit hominis, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.* *Disceptatio* apud Ciceronem & hoc loco, & alibi plerumque est vox judicialis: unde ad alia similitudine quadam transfertur. *Διάγνωσις, διαδικασία, cognitio & quæstio veritatis*, ut in *veteribus glossis* etiam explicatur. Cognitio de jure scilicet, examen justi, quod quisque se habere putat. quod qui exercent, disceptare dicuntur. Unde *ἀκύρως*, & quando veræ disceptationi locus non superest, *disceptare armis* dicuntur, qui Martem quasi judicem elegerunt. Recte ergo *Cicero* dixit controversias, quæ vel hominibus ejusdem civitatis, vel diversis populis incidunt, *per disceptationem finiri debere*, idque proprium hominis esse, & à recta ratione præceptum

1. Offic. 11.

ceptum: quando autem plane nulla disceptationis copia relinquitur, tum in subsidii vicem alterum genus decertandi, quod nunquam probaret natura & ratio, si disceptandi facultas esset, succedere, & vim in extremi ad jus consequendum remedii locum venire. *Confugiendum est*, inquit, *ad posterius genus.* Confugimus autem ad ea, quæ per se nunquam eligeremus, si res aliter expediri posset. Quæ disceptatio apud *Ciceronem* quoque includit judicialem disceptationem, ubi judicii copia est: quæ ubi deficit, disceptatio significat aliquid, quod cognitioni & examini juris ac definitioni forensi respondet & vicarium est: ut si partes ipsæ justa sua in vicem promant, atque si convenire possint de corrigenda inæqualitate, & restituenda æqualitate, experiantur: aut si arbitri deligantur (διαίτησις enim inter nobilia disceptationis genera semper habetur) aut si testatio injuriæ invocato Divino Numine fiat, id est, ad divinum judicium eatur, prius quàm armorum judicio res subjiciatur. In quibus omnibus aliquid judicio ἀνάλογον inest. Ratio enim prius constituitur judex, quàm gladius: ad Dicen prius itur, quàm ad Martem. Quid autem est rationem constituere judicem, quàm Dei per rationem loquentis judicium agnoscere? Hinc teste Deo, sive claris verbis invocato Numine res gerebatur. Unde hoc apud ethnicos? quia natura & ratio dictabat ipsis, esse profecto Deum, juris quo hominum societas continetur

tur auctorem. Non frustra dicit *Cicero*, *Belli æquitatem sanctissime jure feciali populi R. perscriptam esse.* Illa æquitas methodum juris naturæ sequebatur. Intelligas licet, quantum disceptationi tribuendum existimaverit jus feciale, antequam ad vim confugere liceret, lib. 1. c. 32. ex clarigationis ritibus à *Livio* descriptis. Per sacerdotes & ceremonias tota res agebatur: ut de jure naturali divino, & coram ejus auctore, id est, judice disceptatio instituta intelligeretur: *Audi Jupiter, audiat fas*; *inde Jovem testem & judicem invocabat fecialis*, *si injuste impieque satisfactionem de injuriis postularet*: id est, si quid præterquam quod jure naturæ deberetur, unicuique jus suum reddi aut reparari jubente, peteret. *Expectatur postea triginta amplius diebus*, si interea disceptationi locum relinquere malint, quàm armis contendere, à quibus res repetuntur. Tum demum, si auctoritas Numinis & juris nihil valuit, *testatio* interponebatur (iterum Diis invocatis) *populum, qui nolit res reddere, injustum esse, neque jus persolvere.* Hinc *ad deliberandum procedebatur de jure consequendo*; quoniam juris & Numinis auctoritas nulla fuisset apud partem alteram, atque disceptatio tanto apparatu studioque quæsita, prorsus repudiata esset. Quod si tum *decretum* exiisset, *puro pioq; duello res quærendas esse* (id autem est purum piumque bellum, quod disceptationis oblatæ & expetitæ omni sublata copia suscipitur) tandem *indicebatur bellum.* Discere hinc licet,

quid

quid sit confugere ad vim, ubi non licet uti disceptatione: quodque disceptatio fiat vel in judicio, jure civili moderante, disceptatore judice; vel apud tribunal divinum, jure naturæ invocato. Quo & arbitri spectant: ut, si forte partes diffidentes respectu suarum rerum aut perturbatione aliqua interveniente, non satis veritatem juris dijudicent, aliorum & mediorum judicio pacatius ad liquidum perducatur, quid fas, quid jus postulet. Quorum si judicium iterum spernatur, ad tribunal Divinum utrinque rediri, eique vel tacite sententiam, quam de jure suo quisque habet, judicandam permitti, ultro intelligitur.

Dicit h. §. I. *Grotius*: *Judicia publica non à natura, sed à facto esse humano.* Opponit his verbis *Feldenus Grotii* sententiam supra declaratam, qua *statuit, ea, quæ conveniunt naturæ humanæ, qua quis homo est, non esse juris voluntarii: at per disceptationem ratiocinando justum consequi, naturæ humanæ convenit, qua quis homo est. Grasvvinckelius* parum ad rem respondet. 1. *Nihil manifestius est, quam jus civile opponi naturali, cum tamen naturali æquitate nitatur: sed factum hominis intervenit, & absque hoc jus non esset.* Verum quatenus in civili jure subest æquitas naturalis, sive quicquid æquitatis naturalis subest, jus est absque omni legislatione civili, sive absque facto humano, sicut ex ante dictis constat. Igitur si lex naturæ (quod in omnibus bonis rebuspublicis factum est) repetatur lege civili, sive

san-

ſanctione civili, illa lex non eſt tantum civilis, ſed abſque legiſlatoris civilis facto, tamen eſſet jus, & quidem excellentiſſimum juris genus, jus & lex naturæ. 2. *Quod vero ait Feldenus, per diſceptationem jus ſuum conſequi natura humanæ convenit, verum eſt: ſed ut diſceptatio in publico judicio fiat, non eſt à primæva natura, ſed à naturali ſecundario jure, quod à facto hominis eſt.* Hoc quale ſit, ex paulo ante dictis intelligi poteſt, ne dicam, *jus naturale ſecundarium, quod à facto hominis ſit*, nove, nec accurate dici. Si per hoc genus loquendi intelligit *jus naturale in iis, quæ actum humanæ voluntatis conſequuntur*, non dixit, quod dicere voluit.

Cæterum *judicia juris naturalis eſſe, ſive à natura eſſe*, non uno modo ab eruditis oſtenditur. Forte non alienum erit à propoſito partite iſta conſignare. *Judiciorum poteſtate* nonnulli conciſe loquentes omnem ſummam poteſtatem ſignificare inſtituunt: ut in illo *Curtiano*;
lib. IV. c. 1. *cum in regali ſolio reſidebis, vitæ necisq; omnium dominus*. His ergo judices in genere imperantium: de quo poſtea; ubi de origine civilis poteſtatis aliquid annotandum erit. Alii judiciorum appellatione, de *legiſlatoria ſimul & judiciaria proprie ſic dicta poteſtate* utuntur. Sicut de Hebræorum philoſophia *Seldenus* annotat; *quod*
de I. N. & G. *in præcepto Noachidarum ſeu naturali de judici-*
VII, 4. p. *is, hoc contineri velint, ut qui ſocietates publicas*
804. *inirent, ſeu reſpublicas qualeſcunque conſtituerent, rebusque præeſſent, Tribunalia, conſiſtoria*

ſeu

ſeu domos judicii ordinarent, quibus tum ea, quæ pro vario locorum, temporum, perſonarum diſcrimine, Juris Noachidarum capitum obſervationi eſſent neceſſaria ſeu conducibilia, ſancirentur ſuperinducerenturque, tum judicia de ipſis juris naturalis capitibus, ſimul & de ſancitis ejuſmodi in litium & actionum deciſionem exercerentur; & demum, ut hujuſmodi ſancitis & deciſionibus parerent illi, qui pro multiplici imperii diverſitate ac variantibus juriſdictionis præſtituta modis ſubeſſent, pœniſq; coërcerentur contumaces & rebelles. Ita tamen, ut de divino etiam judicio, præmioque ac pœna in eo expectando, ſeu de eo, quod eſt, Deum remuneratorem eſſe, perſuaſionem univerſis hominibus neceſſariam eſſe, quantum video, interea exiſtimarent Hebræi. Notabilis, nec prætereunda hæc Hebræorum philoſophia, haud dubie vera, Quidam *judicia* ſtrictius accipiunt, nec de deliberativis & conſtitutivis decretis, ſed de deciſivis exaudiunt: legumque ſanctione excluſa, quæſtionem facti, definitionem juris & executionem intelligunt. Atque ita judicia vel *quarto præcepto* Decalogi conſtituuntur, quo omnia ſummi imperii jura, ut ſubinde cognoſcetur, ſanciri credunt: vel *octavo præcepto*, ubi cognitionis judicialis diligentia adverſum falſos teſtes, adeoque totus judicum ordo commendari intelligitur. Quare & Theologi graviſſimi judicia lege naturæ & in decalogo præcipi, nihil dubitant. Sed clariora hæc erunt ex dicendis poſtea.

§. II. *De casu cessantis judicij*, infra ad II, 20. 8. de *fure nocturno*, ad II, 1. 12. agetur.

§. IV. L. Pinarii adversum Ennenses factum defenditur. Vide tamen, quàm caute in hoc
XXIV, 39. genere versentur Antiqui. *Enna*, inquit *Livius*, *aut malo aut necessario facinore retenta.*

§. V. Supra jam aliquid diximus, quod huc pertinet. Repetemus conserte: Magistratus movet bellum, *aut* jure magistratus, *aut* facto proprio, neq; enim in voce *proprij* hic arguttandum est. *Jure* autem *magistratus*, tum demum dicitur movere bellum, cujus formulâ hoc diserte continetur. Alioquin enim in jurisdictione magistratus id non continetur, sicut §. præcedente Grotius ostendit. Si ergo *jure magistratus* (sensu quo dictum est) bellum movet, non sua, sed mandata potestate utitur; itaque publicum erit: si facto proprio, privatum utique erit bellum. Si ex *conjectura voluntatis legitima* movet, jam iterum erit publicum. Conjectura enim ea est, quid & quantum mandato contineatur. *Si conjectura voluntatis vitiosa* est, iterum erit privatum. Quis enim tibi ita conjicere permisit? In *conjectura voluntatis ancipiti*, prout hæc aut illa pars prævaluerit, publicum privatumve habebitur. Hæc clara & certa sunt. *Grasvvinckelius* alias res agit. Hinc procedit disputatio ad conjecturam voluntatis licitam, aut vitiosam. De qua in *dissertatione de Mandatis* aliquid dictum est, & infra sæpius dicendum erit: inquisivitq; regulas quasdam huic philosophiæ tem-

temperandæ Cl. *Pufendorfius. Julij Cæsaris exemplum* injustum bellum aggressi ex conjectura voluntatis publicæ, non hic modo, sed etiam *infra* hoc nomine *Grotius* adducit. Sed quid dicemus ad ipsius Cæsaris apologiam, quando SCto se tuetur, in oratione ad Ariovistum? quoniam *M. Messalla, M. Pisone Coss. Senatus censuisset, uti quicunque Galliam provinciam obtineret, quod commodo Reipublicæ facere possit, Æduos ceterosq; amicos populi R. defenderet, se Æduorum injurias non neglecturum.* Cujus generis Senatusconsultum etiam habemus apud *Ciceronem*, de Ariobarzanis Regis salute, incolumitate, regnoque tuendis. Annon recte conjecit Cæsar, qui Æduos vult defendi, vult etiam ea, sine quibus defendi nequeunt, adeoque bellum? Plura sunt, quæ hic dubitationem habere possunt: an *defensionis* vocabulum, etiam bellum inferendum extra fines Galliæ, & ultra Rhenum, complectatur; non enim videtur Senatusconsulto infinita, sed limitibus Galliæ provinciæ circumscripta potestas concedi: an mutato Æduorum statu, neque defenso ab iis, qui Galliam provinciam obtinuerant, hoc Senatusconsultum, ordiendi negotium de integro potestatem daret: an commodo Reipublicæ fieri dicatur, quod ad bellum novum ancipitis aleæ in provinciam attrahendum pertineret: an id, quod ad primarium negotium adjicitur in formula mandati, possit ad ea produci, quæ præcipuo negotio difficiliora aut potiora videri possunt. Quo

Elem. lib. I. def. 14. §. 3.

III, 3. 10. add. II, 21. 4.

de Bel. Gal. I, 35.

Epist. XV. 2.

loco notandum, illa verba, *quod commodo reipublicæ facere posset*, habere vim restringendi & temperandi, non ampliandi, quod concessum est.

A §. VI. ad finem capitis nobilissimam orditur disputationem de *summa potestate*, totamque eam philosophiam tam erudite exequitur, ut ingentia aliorum volumina, gravitate & utilitate doctrinæ vicerit. Præfatur de difficultate rei, partim consiliis eorum, qui temporibus & negotiis suis servire potius, quàm veritatem exquirere ac tradere maluerunt, invecta; partim per ignorantiam solidioris disciplinæ, contracta; unde nihil nisi confusum & impeditum expectari fas est. Mihi semper visa est & illa caussa non in ultimis habenda, quod Aristotelis in hoc genere philosophia aliter, quàm fieri debuit, accepta est. Qui enim credunt, Aristotelem omnis civilis doctrinæ placita contextu pleno partitoque ita in Politicis tradidisse, ut nulli veri investigationi locus supersit, illos statim hærere & sudare & comminisci necesse est, ubi suo loco, aut ordine aliquid frustra quærunt, aut diversa diversis non erudite comparant conciliantve, aut interpretandi disjecta arte destituuntur. Longe est utique verissimum, quod & semper credidi, & à doctissimo nostro *Conringio* non minore animo, quàm scientia vulgatum gavisus sum : *Opus Politicum Aristotelis* non conscriptum esse, ea ratione & via, cujus & artifex summus habetur ipse, & specimen

in Ethicis Nicomachicis apparet; ſed pluribus in locis, vel populariter, ac citra gravius definiendi dividendique ſtudium, vel permixtim, vel non ſine hiatu defectuque, rem geri. Id adeo an vetuſtatis injuria, aut eorum culpa, quorum manibus propagati ſunt libri Ariſtotelici, ſive etiam ipſius Philoſophi quodam conſilio, illuſtria quidem ingenii ſummi & incomparabilia documenta edere, totum autem doctrinæ, quam ſecretam eſſe etiam Alexander optavit, contextum haud vulgare, aggreſſi, nonnihil diſputationis video inter eruditos relictum. Cæterum in tam nobili argumento, *de ſumma civili poteſtate*, *primo originem ejus* æquum eſt indagare: *deinde* ad ſingula, Grotio diligenter tradita, procedendum eſt. *Summa poteſtas civilis*, etiam *imperium* dicitur: & apud juniores, *majeſtas*; qua voce Antiqui ſæpius pro ſumma dignitate uſi ſunt. *Auctor librorum ad Herennium*: *Majeſtas Reipublicæ eſt, in qua continetur dignitas & amplitudo civitatis.* IV, 25. Quia tamen illa reipubl. majeſtas, omnes ſuas rationes à ſumma poteſtate ſive imperio ſuſpenſas habuit, factum eſt, ut eadem appellatione, ſumma poteſtas comprehenderetur. Itaque ἐν παραλλήλῳ *Cicero*, *jus majeſtatis atque imperii* conjungit. de Fin. I, 7. Et diſertis verbis *majeſtatem* deſcribit per *dignitatem*, *amplitudinem*, POTESTATEM, *populi Romani*. de Invent. II, 17. *Qui originem* ſummæ civilis poteſtatis ab hypotheſi ferinæ illius vitæ, quam illi *ſtatum naturalem hominum* male appellitant, repetere inſtituunt v. Hobbeſ. c. 5. & 6.

ſtituunt, vix ullum alium ſuæ philoſophiæ uſum poſſunt oſtendere, quàm ut illiusmodi diſſertationibus præſtantia & neceſſitas imperii, tanquam oppoſitu contrarii, oſtendatur: ſicut, qualis futura eſſet hominum vita, ſi religio abeſſet, & Divini Numinis providentia negaretur, interdum propoſita confuſionis multiplicis imagine declarari ſolet. Igitur ſumma poteſtas, non ab humano tantum facto, ſed à juſſu divino & lege naturæ, ſive tali facto humano, quo juri naturæ obtemperatum itur, arceſſenda eſt. Qui enim ſocietatem præcepit, is ſocietatis ordinem
3. de Ll. 1. præcepit, ut ſupra dictum eſt. Unde *Cicero*, ***nihil tam aptum eſſe ad jus conditionemque naturæ, quàm imperium***, dixerat. Cum adhuc duo tantum eſſent, fœmina viro parere juſſa eſt: hinc liberorum in parentes obſequium, parentum in liberos imperium, lege eadem naturali ſancitum eſt. Cujus ſenſus non alius equidem fuit aut eſſe potuit, quàm iſte: ubicunque eſt ſocietas, ibi ſit ordo imperandi & parendi. Ubi ſunt, qui liberis, qui parentibus comparari poſſunt, ibi ſit imperium & obſequium. Cur natura aliquid imperfectum ſpectaret? ad ſocietatem tendit natura: ergo ad perfectiorem ſocietatis ſpeciem, quæ eſt civitas. Ergo ad civitatem, ut eſt perfecta, id eſt, ut non corpore tantum, ſed ſpiritu & anima quaſi conſtat. Civitas autem ſine imperio, nihil aliud eſſet, quàm corpus ſine anima. Et quis dubitandi locus relictus eſt, Decalogum

reco-

recogitantibus? ubi parentum imperium sancitur. Sicut autem præceptum de honore parentum, obsequioque illis debito, etiam apud ethnicos ita acceptum magistra natura, ita explicatum est, ut parentum vocabulo omnes significarentur, qui aliis provisu imperioque consulunt: ita multo magis, qui Sacris literis philosophiæ accuratioris lumen debent, omnem imperandi parendique ordinem, qua talis est, ex illo Decalogi dictamine arcessunt. Accedunt tot loca Scripturæ, quæ summam potestatem civilem à Deo esse, Dei vice in terris fungi, luculenter testantur. Qui ὑπαλληλισμὸς præsertim multum gravioris philosophiæ habet: nempe, quod civilis potestas, sive civile imperium, Dei in terris vices suppleat. Imperium Dei continet totum mundum: quod exequitur Deus, tum aliis modis, tum constituto illo ordine imperandi & parendi, quo uterentur, quicunque legem Dei de societate colenda agnoscerent. Id demum meri facti est humani, an summam potestatem velint uni committere, an pluribus, & quibus seorsum modis describere statum Reipublicæ instituant. Constat ergo, ut civitas sit civitas, finemque suum consequatur, institutum à Deo lege naturæ ordinem imperandi parendique, in quo ex ipsa Dei voluntate & naturalis rationis dictamine aliquid summum sit, ac à nemine dependens, neminis arbitrio subjectum, Deo uni ut subditum, ita secundum & vicarium: quæ est majestas seu potestas

ſumma civilis, modo in unius perſona, modo in pluribus, aut tota republica reſidens, prout formam civitatis conſtitui contigit. Prorſus non poſſumus probare eos, qui non niſi remedium corruptæ naturæ, in imperio & civili ordine agnoſcunt. Si primævam naturæ ſanctitatem retinuiſſet homo, non minus tamen imperio, & imperandi parendique ordine uſus eſſet, quàm ſocietate, quæ ſine tali ordine, homine indigna eſſet. Ordo imperandi & parendi, divinum & pulcherrimum inſtitutum, omni naturæ rationali ita deſtinatum eſt, ut ſocietas & multiplicatio ſine eo cogitari nequeat. Hoc ordine nec cœleſtes ſpiritus carent. Fruſtra enim exceperis: homo, ſi non peccaſſet, ſponte feciſſet, quæ facienda erant: nulla vi, nulla fuiſſet coactione opus. Imperium autem vim & coactionem, δύναμιν ἀναγκαστικὴν, deſignat. Quid enim? an Angeli boni cogendi ſunt, ut voluntatem Divinam faciant? an, quia ſponte & libenter alacriterque faciunt, Deus ipſis non imperat? an, cum in civitate oderunt peccare boni virtutis amore, in bonos nullum eſt imperium? an imperium non eſt imperium, niſi in malos exerceatur, niſi diſtringat ſecurim, id eſt, niſi faciat, quod nollet facere, quod per ſe nunquam eligeret, ſi faceret unumquodque civitatis membrum, quod ordine imperandi parendique continetur? Tollatur è mundo neceſſe eſt, id quo mundus continetur; è natura hominum, id quo humana & ſocialis

eſt;

est: si divinus ille ordo imperandi parendique denegaretur humano generi, ut humanum est, ut à Deo ad societatem honestissimam conditum instructumque est; & à corruptionis eventu suspenderetur res, qua id quæritur, ut fiat, quoad ejus fieri potest, quod ante corruptionem fieri debuit. Denique, omnem philosophiam practicam corrumpi necesse est, si solvatur illud vinculum: quo Deus naturæ & legis naturalis auctor, cum rebus à se creatis, præsertim cum homine ita jungitur, ut ordinem semel humano generi attributum servari in perpetuum, vicesque regnatricis potestatis suæ, societatum humanarum ordine ac dispositione dispensari velit. Explicavit nobis ipse (quod ex Ethnicis pleriq; interim agnoverunt) in sacris passim Scripturis, quo consilio, quem ordinem, qua sanctione instituerit: ut ad ambages se referre, hic nihil aliud sit, quàm luci tenebras offundere. Sed & illa ipsa, quæ hanc philosophiam in Sacris illustrant, referri debent ad legem Divinam naturalem, omniumque primam: unde series tota rerum divinarum & humanarum procedit. Ratio hujus consilii tam est manifesta, ut actum agere videri possit, qui verbosus hic esse velit. Quando igitur in hoc ordine civili ad imperii humani fastigium ascenditur, id est, quomodo divino imperio cohæreat, inquiritur: statim apparet, cur potestas civilis gubernandi civitatem, *summa* dicatur. Philosophi ratione, non oratoris

pompa utetur, qui dicet: *summa* est potestas (quæ majestas etiam dicitur) quia aliam non agnoscit superiorem, nisi divinam: *summa*, quia Deus, qui constituit eam, sibi secundam & proximam, ist est, inter humana summam facit: *summa*, quia in ordine divinitus præcepto opus est aliquo summo, à quo cætera omnia pendeant, & ad quod referantur in civitate aut cœtu imperantium parentiumque: *summa* adhuc clarius, quia Deus, ut civitas sit civitas, aliquam ei potestatem dedit, quam nihil supergrederetur; quæ vices Dei cuncta gubernantis in certo cœtu referret, quæ legis munus, omnem harmoniam concinnantis, vivo quodam præsentissimoque ministerio obiret: *summa*, quæ non impeditur, non suspenditur, non judicatur ullo humano arbitrio, aut vi cogente; nisi per arma aut scelus: *summa*, quia nihil veneratione sanctius, nihil fastigio augustius, in humanis rebus habetur: supra quam, & contra quam,
3. pol. 6. & sine qua, in civitate nil geri potest; cum sit, ut brevissime & verissime *Aristoteles* loquitur, *in civitate ubique summa potestas*. Hæc potestas, hoc jus non mutat naturam suam, sive in unum conferatur, sive apud plures resideat. ut civitati insit, tam est naturale, quàm naturale est, ut anima insit corpori ad constituendum hominem. Ut autem uni, pluribusve permittatur, ad naturam civitatis nihil, ad usum temporis, & commoda nationum plurimum interest. Quantum discrepent, quæcun-

cunque aliunde dependent, fiduciaria, precaria, revocabilia, temporaria, vicaria, suis locis ostenditur. Non recte incedunt circa hanc philosophiam de origine civilis ordinis & summæ potestatis multi eruditorum. *Vasquius* non satis consentire sibi videtur in hac quæstione. Modo dicit: *Imperium esse à jure naturæ, non præcipiente, sed suadente.* Modo illud Salomonis (*Per me reges regnant*) ita explicat: *est perinde ac si diceret, quod Dei ordinatione flumina defluunt, nascuntur fontes, crescunt segetes, germinant arbores, illuminat Sol, humectant Luna & sidera.* Hæc autem sunt ejus generis, ut per comparationem à naturalibus ad moralia in humanis respondeant juri naturæ præceptivo. Unde parum accurate mox dissimillimi generis res, tanquam ejusdem generis prioribus continuans adjungit: *& hominum alii legunt, alii scribunt, alii arant, seminant.* Neque sufficit dicere: *Imperium à Deo esse permissive & approbative:* si de ratione & ordine imperandi parendique universe loquamur. Neque satis explanate aut erudite mox ad imperii certi exemplum & significatu non eodem, qui huic disputationi proprius est, transiliendum est. Quis præterea non videt, quàm secure & negligenter ista dicantur: *Ergo quod Reges* (quo vocabulo omne imperii & magistratuum genus se intelligere, sæpe ait) *à Deo sint dati & creati, in hunc sensum & defendi & accipi oportet, quod* MENTE IPSIVS TACITA TACITOQVE EIVS IVSSV, PERMISSV VEL IMPERIO

Contr. Ill. I. 21. 23.
I. 29. 4.
I. 20. 4.
Præf. lib. I. §. 113.

PERIO *dentur, fiant, creentur, eligantur ab hominibus.* Ambiguus animi ſit neceſſe eſt, qui *permiſſu, vel imperio*, dicit. Et *mens tacita, tacitumque juſſum* quid ſit, vix intelligi poteſt. *Juſſum* enim ut ſit juſſum, promulgari debet. ubi promulgatum eſt, non amplius *tacitum* recte dixeris. Neque accurate diſputant, qui commemoratis civitatum, imperiorumque, quibus vis initium dederit, exemplis (& *Bodinus* hæc fere ſola attendit) divinitatem originis, de qua nobis hactenus ſermo eſt, obſcurare; totamque de jure quæſtionem cum facto humano confundere aggrediuntur. Quamquam nec hiſtoriæ congruit φορτικὸν illud: plerisque imperiis vim dediſſe originem. Niſi voce imperii rurſus aliter utamur. Neceſſe eſt enim fuerint prius conſtitutæ, id eſt, ordine imperandi parendique compoſitæ civitates, antequam vis eis inferretur, & libertas adimeretur: neque unus multos cogere potuit, antequam coiiſſet inter multos ſocietas, cujus viribus aliquis utens, aut quæ ſuis ipſa viribus freta aliis populis vim inferret. Ut eſſet in omni humana ſocietate imperium, id eſt, ordo imperandi ac parendi, adeoque poteſtas civilis, à Deo & lege naturæ eſt. Quis aut quomodo eam invaderet, ab illo cœtu ad hunc transferret, aliter atque aliter exerceret, facti humani eſt, ſæpiſſime à jure alieni. Neque tamen admittendum eſt, quod nonnulli ſumunt, omnem civilem poteſtatem armis in hos aut illos partam, injuſtam eſſe. Datur enim

enim justum bellum, quod non dissimiles producit effectus. Neque mera vis est, cum victi victoris imperium subeunt, sicut infra suis locis declarabitur. Exerrant & illi à vera explicatione civilis potestatis, qua summa est in quaque civitate, qui *Pontifici Romano, absolute summam in omnes summas potestates potestatem tribuunt:* id est, id dicunt, quod ponendo tollitur, nec dicendo intelligi potest, sicut candide agnoscit *Fernandus Vasquius:* & demonstrant multi omnis ordinis gravissimique viri, qui olim Majestatem Imperatoriam ab importunissima illa *αὐτοκρατορία* vindicarunt, nobili opere *Goldasti* in unum conducti, præscriptione *Monarchiæ S. Rom. Imperii.* Possunt addi, quæ in Gallia agitata sunt apud *Thuanum* anno 1561. *lib.* 28. & *Gramondum* annis hujus sæculi XV. XXV. & XXVI. *lib.* 1. & 15. Quid ad ista *Contzenius* paret, observatu dignum est *Polit. VII,* 6. 2. Quomodo ab aliis veritas hujus doctrinæ infestetur, *Grotius* ipse paulo post ostendet. Summam civilem potestatem, dici à junioribus *majestatem*, supra dictum est: partes autem ejus, *jura majestatis* vocant. Partes, inquam, sive *potentiales*, ut *Grotius* infra (§. 17.) sive *essentiales*, ut alii nominant. Nam qui *effecta majestatis*, aut *consequentia*, aut *adjuncta* appellant, satis ostendunt, se, quid sit majestas, quibusque rebus constet, & quales illæ res sint, ignorare. Et sane dici non potest, quanta solidioris philosophiæ imperitia hic laborent vulgo Politicorum libelli.

Contr. IU. I. 21. 27. & seqq.

Hinc

Hinc illa importuna & violenta : *Majestas quidem non potest communicari; sed jura majestatis possunt communicari.* Quod non dixerit, qui, quid majestas, quid jura majestatis sint; quamque hæ partes ad totum habitudinem & necessitudinem habeant, intelligat. In enumerando quoque, quia deseruntur quodam modo ab Aristotele, non modice discrepant ac tumultuantur. *Grotius* selecta è *Veteribus* loca adducit: sed res explicatione opus habet.

IV. pol. 14. *Aristoteles* enim loco, qui hic laudatur, non id agit, ut jura summi imperii, sive partes summæ potestatis enumeret : sed ex partibus civitatis, alibi plenius enumeratis (vid. *IV. polit.* 4. & *VII*, 8.) tres præcipuas (*consultores*, *magistratus*, *judices*) totidem capitibus explicat, & quomodo se in diversis rebuspublicis diverse habeant, sive quomodo ex varietate earum varietas rerumpublicarum dignosci debeat, ostendit. Nam *consultare*, non est pars imperii proprie dicti, aut facultatis regendi rempublicam : sed maxime decet eum, qui illa facultate feliciter usurus est. Imperio enim constituitur aliquid: consultatione prospicitur, ut recte constituatur. Sed, quia tamen consilii publici in civitate vis & usus imperium semper comitatur (sive quis solus secum deliberet, sive alios adhibeat) non insolens visum est Aristoteli, exempli illustrioris loco ponere summa rerum genera, *de bello*, *de pace*, *fœderibus*, *legibus*, *judiciis*, *tributis*; quæ ad summam potestatem, ejusve exercitium

perti-

pertinent. Quod & *Rhetoricorum primo*, fecit. Sicut nec *Historicis* constitutum fuit, enumeratione partium summæ potestatis ex arte & subtiliter defungi; sed pro re & negotio summatim ὡς τύπῳ quædam designare. Notabilibus autem *Thucydidis* & *Dionysii Halicarnassei* locis *Grotio* laudatis, adde *Dionis Cassii* auctoritatem, apud quem Mæcenas suasurus Augusto, quomodo summæ potestatis jura, munia magistratuum, legum, in se traheret, solusque & jure regio imperaret, has partes exequitur: τό τε πάντα τὰ προσήκοντα αὐτόν σε μετὰ ἀρίστων ἀνδρῶν νομοθετεῖν, μηδενὸς τῶν πολλῶν μήτ' ἀντιλέγοντος αὐτοῖς, μήτ' ἐναντιουμένου· καὶ τὸ τοὺς πολέμους πρὸς τὰ ὑμέτερα βουλήματα διοικεῖσθαι, πάντων αὐτίκα τῶν ἄλλων τὸ κελευόμενον ποιούντων· τό τε τὰς τῶν ἀρχόντων αἱρέσεις ἐφ' ὑμῖν εἶναι, καὶ τὸ τὰς τιμὰς τάς τε τιμωρίας ὑμᾶς ὁρίζειν, ἵνα καὶ νόμος εὐθὺς ᾖ τοῦτο, ὅ,τι ἂν βουλευσαμένῳ σοὶ μετὰ τῶν ὁμοτίμων ἀρέσῃ. *Ut omnia, quæ in rem esse videbuntur, tu ipse cum optimatibus constituas, sive lege lata sancias; nemine de populo contradicente aut adversante: ut bella vestro arbitrio gerantur; reliquique omnes imperata faciant: ut magistratuum comitia vos habeant auctores: ut honores, præmia, pœnas vos partiamini: ut legis vim statim obtineat, quicquid tibi adhibito optimatium consilio placuerit.* Hæc omnia compendio dicta videri par est. Quo etiam spectant ex *Junioribus* illi, qui numerum, non sententiam Aristotelis retinentes ad hæc tria revocari omnia debere contendunt: *Jus belli, jus legum ferendarum, jus magi-*

lib. 52. pag. 474. edit. Wechel.

Arnis. de I. M. II, 1, 9. *magistratuum creandorum.* Adduntur postea duo: *jus ordinandi religionem, & jus cudendi monetam.* Ad *jus belli* referuntur, *jus fœderum faciendorum*, & *jus legationis.* Sed nec *fœdera* tantum belli caussa fiunt, & *legationes* sæpe in pacifica negotiatione versantur. *Jure magistratuum* facile judicia comprehendi crediderint, qui magistratus nullos nisi judiciorum caussa agnoscunt. *Legum ferendarum jure* multa comprehendi posse, & à veteribus comprehensa esse, dubio caret. Sicut & illud certum est, cum *legum ferendarum potestate*, *jus judiciorum* ita connexum esse, ut alterutrum sæpe nominari pro utroque, aut pro tota summa potestate, compertum sit. Sunt, qui *jus puniendi*, *jus belli*, *jus judicandi*, *jus magistratuum creandorum*, *jus legum ferendarum*, idoneo numero posuisse videntur. Sed cur jus puniendi, à jure judicandi divellatur, non satis caussæ video. De ordine enim & contextu naturali, ut sic dicam (ubi non est nulla eruditæ philosophiæ ratio) nihil movebo. *Lampadius* ita incessit, ut res, quæ tanquam materia summæ potestati subjiciuntur, divideret in *sacras* & *profanas*; *has* rursum in *civiles* & *bellicas*. Qua via non difficulter reperies, quæ huc pertinent. Sed hæc ipsa partitio deducit nos ad nodum, qui Gordio non explicatior multis videtur. Quia enim summa potestas circa omnes res, personas, actiones in civitate jus suum explicat tueturque, non adeo promtum fuit, reperire partes in dividendo

De Republ. Germ. part. I. §. 15. &c.

dendo

dendo, quibus nil prætermiretur, quibusdam in arctum omnia tanquam carcerem concludentibus; aliis præ ſtudio multiplicandi non dividentibus rem, ſed frangentibus. Medium iter ingreſſum eſſe Grotium merito dixeris, cujus hæc eſt partitio:

Summa poteſtas ſeu majeſtas regit civitatem aut

- 1. *per ſe*; verſando vel circa
  - 1. *univerſalia*, condendo tollendove leges, vel circa
    - *ſacra*
    - *profana*
  - 2. *Singularia*, eaque vel
    - 1. *directe publica*, quæ ſunt vel
      - *actiones*
        - *pacis*
        - *belli*
        - *fœderum*
      - *res*, ut
        - *dominium eminens*
        - *vectigalia*,
        - *alia.*
    - 2. *privata, ſed ad publicum ordinata*, ſcilicet controverſias dirimendas *judiciis.*
- 2. *per alterum*, expediendo negotia, vel per
  - *magiſtratus*,
  - *curatores alios*, *legatos* &c.

His partibus §. XVII. addit ſummitatem, iſt eſt, τὸ ἀνυπεύθυνον. Sed illa ſummitas ipſa

appellatione *majestatis* ac *civilis potestatis* & imperii, ut hic accipitur, continetur. Unde plerumque additur *summa* potestas civilis: quia hic non de ea potestate, quæ delegatur aliis, mandaturve, sed quæ delegat mandatque, non de rivo, sed de fonte sermo est. τὸ ἀνυπεύθυνον verbo non respondet *summitati*: sequitur tamen, ut summum sit & κύριον, quod ἀνυπεύθυνον est. Quando igitur vulgo definiunt *majestatem, summa legibusque soluta potestate*: res una ἐπεξηγητικῶς effertur. Si enim *summa*, etiam *legibus soluta*. Jam, *potestatem legum ferendarum*, legibus ipsam solutam esse, ultro intelligitur. Se enim per modum legis nemo obligat. Nec figura carent illæ locutiones, cum quis sibi legem ipse dicitur posuisse. Sic etiam, qui supremam habet judicandi potestatem, ab alio non judicari potest: & hoc quoque nomine ἀνυπεύθυνος est. Ut partem singularem summæ potestatis constituere τὸ ἀνυπεύθυνον, non sit opus. Potest hæc philosophia usui esse, illam pervulgatam quæstionem, *an Princeps legibus solutus sit*, tractantibus. Si enim constat esse sermonem de Principe, qui jure; si non nomine, regio est, id est, qui omnem summam potestatem habet, non est locus dubitationi & disputationi. Vidit, nec tamen expedivit hoc magnus vir *Jacobus Gothofredus in Ulpiano suo.* Explicat *in illa oratione legem* 31. *D. de ll.* de Principe Romano: bene & recte. Sed cum primo posuisset, non omnem Principatum de παμβασιλείᾳ accipi debe-

debere, in qua Princeps omnino legibus solutus esset; & jam expectare deberet Lector, an Principatus Romanus παμβασιλικὸς esset: ille declinata directa respondendi via oblique videtur negare velle: nisi quod ad extremum distinguit inter *summum Principis Romani arbitrium in administranda republica* seu potestatem αὐτοκρατορικὴν ei & in eum translatam; & *privilegium Augustum*, ut appellat, seu solutam legibus majestatem: tanquam res diversas. Quamquam autem nemo non videt, hoc privilegium Augustum, ut vocatur, in potestate αὐτοκρατορικῇ necessario contineri: non est tamen de cætero repudianda tanti viri industria, quando nova quadam solertia ostendit, de quibus legibus Ulpianus loquatur, cum Principem iis solutum pronuntiat. *Querelis* autem, & *distinctionibus* ibi allatis, vix est opus. Qui enim Principem, etiam plenissima majestate præditum, solvat lege divina naturali & gentium, nemo reperietur. Nisi quis veteratores aulicos nominare velit, qui nec ipsi tamen quod clanculum insusurrant, aperte profiteri audeant. Sed id ἀπροσδιόνυσον est. De positivis legibus & civilibus quæri, res ipsa loquitur. De *impunitate* autem itidem nihil expedit *Gothofredus*: nec *Dionis* narrationem, qua huc lib. 53. pertinet, vel totam exprimit, vel recte interpretatur.

De singulis, ut Grotius enumeravit, partibus summæ potestatis, paucissima annotabimus. De *jure summarum potestatum circa*

sacra, à *Grotio* ipso habemus libellum posthumum, eruditum sane, sed qui alicubi desideret ultimam manum. Et quis in hoc argumenro sine offensione enaviget? Illi, qui Augustanæ Confessionis nomine imposita aliunde conscientiis onera soli Deo exonerarunt, gloriari hic suo merito possunt; quod jus circa sacra summis potestatibus salvum sacrumq; conservare cupiant. Nisi quod imperandi parendique, ut sunt res humanæ, abusus aliunde potest accedere. Ex illis, qui venerabili Veteris Ecclesiæ præscriptione Pontificum placita fere tuentur, exquisitæ vir doctrinæ *Petrus de Marca*, Archiepiscopus nuper Tolosanus inde Parisiensis, in præclaro opere de *Concordia Sacerdotii & Imperii* ea scripsit, quæ eruditum lectorem de multis opportune possunt submonere. Qui *Reformationis* nomen unice concupiscunt, habuerunt virum eximium, *Nicolaum Vedelium*, qui in opusculo de *Episcopatu Constantini Magni*, majorem veritatis, quàm partium rationem habuit: cui se non paribus armis opposuit *Gulielmus Apollonius*, edito *Jure majestatis circa sacra*. De *Jure nomothetico* sæpius
1.de rep.10. mentio fit, in hoc ipso Grotiano opere. *Bodinus* ita ὡρίζεται: *legem universis & singulis civibus dari posse, libere, id est sine necessario superiorum, aut æqualium, aut inferiorum consensu.* ita populariter explicat. Superiores enim nemo habet hactenus, quatenus potestatem legum ferendarum habet. Sed nec æquales habet, qui totum jus nomotheticum sibi vin-

dicat

dicat. Sed qui partem habet juris nomothetici, cum eo participare possunt alii, in tantum æquales, in quantum æqualiter ad eundem effectum, id est, ad ferendam legem concurrunt. Inferiorum hic nulla ratio est. Si enim eorum, qui hoc nomine dicerentur, necessarius esset consensus ad ferendam legem, eatenus non possent accurate loquendo inferiores haberi. Eveherentur enim ad æqualem & communem efficientiam in hoc genere. Distinguit leges doctissimus *Feldenus* in *Superiores & Inferiores.* Hæc, ut ad popularem usum inepta, adeoque repudianda, non sunt; si præsertim non obliviscamur, ut privatorum voluntas in legem ire possit, non esse à jure & facultate privati, sed à summa potestate, unde etiam dependet; atque adeo nulla necessitate nos compelli, ut caussam & vim νομοθετικὴν geminemus: ita non minimis involvitur tricis rei totius explicatio. Fides rerum contractarum, pactorum observantia jure naturæ præcipitur: ut & effectus dominii. Hoc jus naturæ lex civilis partim confirmat, partim interpretatur: est, ubi pro conditione objecti & circumstantiarum limitat. Secundum hanc legislationem, quæ paciscuntur privati aguntque, cur *leges*, si quis accurate loqui velit, vocari debeant, nihil est caussæ. valent ex lege, vim legitimam habent, atque adeo vim legis habent, id est, à lege: effectum habent, quem lex decernit. Si voluntatem privatorum omnem, quam lex civilis ratam

Elem. part. 1, cap. 7.

 habet

habet, aut irritam non reddit, legem vocare velis, quis non videt largius te vocabulo legis abuti? Diximus alibi non carere figura illam locutionem: *rei sua legem dicere*. Quod & interpretantur *disponere de re sua*, *suis rebus modum imponere*: & ad *testamenta* quoque accommodant, in quibus *voluntas testatoris lex* dicitur per similitudinem quandam; sive quod lex eam tueatur, sive quod legislator, si interrogatus fuisset, de tali vel tali dispositione testatoris, eam approbaturus fuisse credatur: sicut explicatur apud *Fernandum Vasquium*. Cujus generis frequentia apud JCtos exempla, *legem dicere*, id est, pacisci: quamquam & à paciscendo distinguitur *legis dictio*, ut sit conventio contractui in continenti adjecta. *Lex venditionis*, & similia. Propriè huc pertinet, quod *Theophilus*, cum posuisset primo Latinam phrasin ποιήσας τὸν *legem bonorum venditorum*, non per νόμον explicat, sed per ὅρον, inquiens τίθησι, ὅρον τῶν διαπιπρασκομένων. Apud agrimensores *legem agris dicere*, est finire agros, sive limites agris ponere. Vox Prætoris *Feldeno* allata non ostendit, pacta conventa privatorum leges esse proprie dictas, sed ut valeant, ex legibus & voluntate legislatoris habere. Igitur tam diligenter enumerat auctoritatem legislationis naturalis civilisque: *Pacta*, inquit, *conventa*, *quæ neque dolo malo*, *neque adversus leges*, *plebiscita*, *senatusconsulta*, *edicta Principum*, *neque quo fraus cui fiat*, *facta erunt*, *servabo*. Hoc non est ex pactis conventis leges proprie dictas facere, sed

De success. tom. 3. lib. 1. §. 9 n. 29.

Institut. de success. bon.

ſed ea legibus proprie dictis moderari ac tueri. Hæc ad leges *Inferiores* Feldeni, in quantum ipſe extendi voluit. Meliori jure iſta appellatio conveniret illis ſtatutis, quæ municipium aliquod aut urbs, natio, provincia, magiſtratus denique aliquis, permiſſu & indultu ſummæ poteſtatis condit. Cujus ſolius eſt & manet proprium, leges condere. Unde etiam leges illæ, ſive inferiores, ſive particulares velis appellare, à ſumma poteſtate tolli poſſunt ſemper. Ita ne ſemper, inquies? Quid, ſi non revocabili privilegio, hæc poteſtas alicui provinciæ conceſſa ſit? In omni ejusmodi conceſſione reſervatur jurisdictio ſuprema in provinciam aut urbem. Nam ſi magiſtratui aliquid tale conceſſum eſt, ille non eſſet magiſtratus, niſi à ſumma poteſtate dependeret, ab eaque judicari poſſet. Ubi ergo manet in aliquem ordinem poteſtas judicialis, ibi ex delicto, nullum eſt privilegium, quod non per modum pœnæ amittere poſſit, quicunque à ſumma poteſtate judicari poteſt. Neque cenſetur privilegium concedi cum abdicatione omnimoda ſummæ poteſtatis. Hoc enim eſſet ex ſubdito ſibi, non ſubditum facere. Qualis mutatio ſtatus diſertis clariſque verbis exprimenda ſcilicet eſſet. Nec immerito *Bodinus* cenſet, omni privilegio ſummæ poteſtatis eam clauſulam ſeu cautionem, *Quod ſine mea fraude fiat*, etiamſi verbis non enuntietur, naturaliter ineſſe. *Jus belli* comprehendit, quicquid ad armatam reipublicæ tute- 1. de rep. 9.

lam pertinet: exercitum conscribere, dilectum habere, arma comparare, in hostem movere, prædas agere, confligere, stipendia constituere, præmia pœnasque militibus decernere, seu disciplinam militarem regere: munire urbes, oppida, castella, excitare arces & munimenta; custodes corporis constituere, & satellitia. Nota interrogatio Tiberij adversus Junium Gallionem, de prætorianorum honoribus cen-
6. A. 3. sere ausum apud *Tacitum: quid illi cum militibus? quos neque dicta Imperatoris, neque præmia nisi ab Imperatore accipere par esset.* Committi administratio hujus juris potest magistratibus & præfectis militaribus vario ordine graduque: sed tum fiduciarium est, & aliunde suspensum. Impetrantur etiam aliqua
5. H. 12. per modum privilegii: ita *Judæi*, apud *Tacitum*, *per avaritiam Claudianorum temporum emto jure muniendi, struxere muros in pace, tanquam ad bellum.* Referunt huc aliqui *jus equestrium ludorum*, sive *spectacula hastiludiorum*, quæ vulgo satis inepta voce Torneamenta vocant. Cæterum ut summa potestas ad se revocet, quicquid ad armorum tractationem pertinet, etiam ludicram (unde facile ad seria deveniri potest) consilii est. Quamdiu autem non vetantur ludi ejusmodi, sive ad arbitrium summi imperii unice vocantur, pro permissis & ordinario armorum jure non comprehensis haberi possunt. Sed de jure seu potestate belli suscipiendi gerendique, ut & de *jure* seu potestate *pacis facienda*, satis ipse Grotius egit.

Etiam

Etiam de *Jure fœderum* faciendorum. De *vectigalibus & tributis* nonnulla opportune submonuit. Jus hoc nonnulli, tantum à militia deducunt; sicut in nobili illa sententia apud *Tacitum: neque quies gentium sine armis, neque* 4. H. 74. *arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* Sed exempli ergo hoc adducere licet. Quod & Mæcenas in sua oratione facit lib. 52. p. 483. edit. Wech. apud Dionem, *ostendens*, omni reipublicæ ut armatam tutelam, ita pecuniariam collectionem necessariam esse: sed postea addit tamen, rationem erogationum instituendam esse, non quæ ad militiam modo, sed *τἆλλα πάντα δι' ὧν πόλις καλῶς οἰκεῖται, omnia reliqua, quæ ad rempublicam recte administrandam faciunt.* Scilicet opus est publicis impensis ad actiones civitatis pace belloque ordinandas provehendasque, & *αὐτάρκειαν* sive copias ad finem civitatis necessarias instituendas: ut & incolumitas reipublicæ & dignitas suis numeris constet. Hinc nihil tam est naturale, quàm ut *ratio quæstuum & necessitas erogationum inter se* 13. A. 50. *congruant*, ex mente Senatorum Romanorum apud *Tacitum.* Jam illi *quæstus* unde conquirendi? Veniunt suo jure in partem conferendi aliquid ad communes impensas, quicunque sunt partes civitatis, aut civitatis rebus in quæstum suum utuntur. Ab hoc jure ad consilium & inventa prudentiæ devenitur: unde & quomodo facillime, & maxime æqualiter exigantur, quæ in publicos usus debentur. Quamquam neque hic justi injustique respe-

ctus abesse potest, quotiens, quantum ab hoc & illo, nunc aut alio tempore exigendum sit, disputatur. Comprehendunt aliqui hoc jure, etiam *operas rusticas*, *angarias*, *parangarias*, quæq; reipublicæ hujus generis alia deberi ministeria creduntur. *Affinia* potius dixeris. De *Eminentis Dominii jure*, abunde dictum est. *Jus judiciorum* recte & erudite distinxit Grotius à *jure magistratuum*; cum quo vulgo imperite confunditur. Dixi satis *in dissertatione de Judiciis*. *Jus Magistratuum* creandorum, destituendorum, mutandorum, quin cæteros quoque Consiliarios, Curatores & Officiales, ut vocant, omneque in regno ministerium Aulicum & Palatinum, per superiores & inferiores gradus complectatur, nullum est dubium.
4. polit. 15. *Aristoteles* quidem hoc argumentum diligentissime tractans distinxit à magistratibus proprie dictis τὺς ἐπιστάτας, ἐπιμελητὰς, ὑπηρέτας, *præfectos*, *curatores*, *ministros*: sicut adhuc hodie merito distinguuntur. Neque minus laudis meretur illa *curationum* distinctio (ἐπιμελειῶν) in *civiles*, *œconomicas*, *administras*. Sed quo minus sub jure majestatico (ut loquuntur) magistratuum constituendorum illa omnia contineantur, nihil impedit. De cetero notandum: Aristotelem in illa disputatione spectare morem liberarum rerumpublicarum. 2. Male agere eos, qui *Senatum & Consiliarios* semper à *magistratu* separant. In nonnullis rebuspublicis *Senatus* summam potestatem sive majestatem, sive omnia jura maje-

majeſtatis habet: & tum Senatus inſtrumentum ſunt omnes, qui magiſtratuum nomen gerunt. At in aliis *Senatus* formula magiſtratus conſtituitur. Ita Conſiliarii, ſæpe non ſunt magiſtratus: at interdum collegium conſiliariorum itidem formula magiſtratus ordinatur: nonnunquam qui conſiliarius, idem magiſtratus eſt. Unde nihil philoſophicæ *ἀκριβείας* eſt in illo; *Senator de omnibus reipublicæ negotiis & ſemper deliberat; magiſtratus de nonnullis, & aliquando.* Sæpe enim Senatus, ut jam dictum eſt, jura magiſtratus habet, ſeu jure magiſtratus & deliberat, & imperat. *Magiſtratus* vocabulo, nunquam aliter utuntur veteres, quàm de inſtrumento ſummæ poteſtatis. Itaque omnes magiſtratus ſunt ſub ſumma poteſtate. Ipſam ſummam poteſtatem hac appellatione *Theologorum ſchola* cœperunt deſignare: ut, *de Magiſtratu Politico*, id eſt, de ſumma poteſtate & imperio, ſeu jure imperandi vel per ſe, vel per alios: denique quicquid eſt imperii in Republica, & præſertim ſummum, ſolent eo vocabulo exprimere. Sed in hoc argumento, ubi jus magiſtratuum conſtituendorum & deſtituendorum, inter jura majeſtatis enumeratur, ſatis apparet, nullum illi ſignificationi locum eſſe poſſe. Neque eſt, quod aliquis *Ariſtotelis* auctoritate hic abuti 3. polit. 4.
velit, qui *πολιτείαν* ſive rempublicam definit, al. 6.
quod ſit *τάξις πόλεως τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων, τοῦ συμφέροντος ἕνεκα*, *ordo civitatis cum aliorum magiſtratuum, tum præcipue illius,*

illius, qui habet summam potestatem, utilitatis gratia. Ecce, dices, hic *magistratus* nominatur *summus omnium*, seu qui summam potestatem habet. Notare possunt, qui volunt, quàm lentis sub maxillis edant, qui Græca non accurate intelligunt. Græcum ἀρχὴ & ἀρχαὶ non respondet ad verbum, Latino, *magistratui* & *magistratibus*. Ad verbum enim reddi debet, *imperium*. Et sic recte dico, *esse in civitate ordinem imperiorum, & potissimum summi imperii:* cui cætera scilicet imperia magistratuum subordinata sunt. Manet itaque inconcussum, *jus magistratuum constituendorum* ita esse in majestate, & à majestate, ut quæcunque magistratibus datur potestas, ea majestatis sit, à majestate pendeat, ad ejus arbitrium quiescat, propria auctoritate sumi nequeat aut exerceri. Etiamsi enim, quantum ad modum constituendi magistratus attinet, à civibus, aut ordinibus generibusque civium constituantur, plurimum tamen differunt: *constituere sua vi, sua auctoritate, sua potestate, adeoque proprie & independenter*; &, *constituere seu eligere & creare auctoritate concessa, opera vicaria, & delegata.* Quamquam ne id quidem semper tale est, quale videtur. Sæpe enim sophismate politico imago tantum & simulacrum electionis ac potestatis vicariæ, non res ipsa conceditur. Quod in artibus aulicis Romanorum Principum non ignotum est. Non nemo finxit hoc loco sibi definitionem *magistratus*, quæ nec usu vocis, &, quod consequitur, rei natu-

natura, unquam fuit, aut esse potuit. *Aristoteli* certe γνησίῳ, id est, Græco, nihil tale in mentem venit. Sed hæc diffundenda non sunt. *Legatos* generali curatorum nomine comprehendi posse, nemo negaverit. Cur tamen *jus legatos mittendi*, seorsum nominetur, magna ratio est. Legati proprie sic dicti non mittuntur, nisi ab habentibus majestatem, nec ad alios, quàm ad habentes majestatem. Civium ad Principem, Principum ad cives nuntii, latiore vocabuli usu in communionem ejus nominis veniunt. Atq; hæc sunt summa imperii jura, sive summæ potestatis partes apud Grotium: cujus & investigatio diligens, & partitio erudita est. Vulgare discrimen, quo *alia majestatis jura majora*, *alia minora* appellant, ratione & fundamento caret: nec ullum usum habet. Juniores *Regalium* voce in hac materia utuntur: ejusque varias significationes non citra confusionem in ore habent: & (qui solennis error est) ex hypothesi totam thesin, & ad unius reipublicæ exemplum, uniusque ævi stilum, totum argumentum formant reformant. ἀνεργία quoque manifesta est, potestatem conferendi honores, dignitates, titulos seorsum enumerantium; cum juris nomothetici pars ipsissima sit: neque privilegia ab alia proficiscantur origine, quàm leges. Ita quando in aliqua republica Princeps legum ferendarum potestatem cum ordinibus communem; dignitatum autem & privilegiorum tribuendorum solus habet, recte dicimus:

par-

partem juris nomothetici esse penes solum Principem. Eodem pertinere *jus nundinarum* cum similibus, in aperto est. An & *jus monetæ?* ita sentiet, qui & nomen νομίσματος ἀπὸ τοῦ νόμου repetendum esse, Antiquis, in his *Andronico Rhodio*, crediderit. Jus extremæ provocationis partem esse juris judiciorum, alibi monstravimus. Nec alio referri debent, quæ de *præmiis & pœnis* annotantur.

ad Ethic. Aristot. V. 6.

De *discrimine* & sensu *Aristotelis*, circa artem ἀρχιτεκτονικὴν, βουλευτικὴν, δικαστικὴν, peculiari dissertatione agere constitui: ne hic nimis longas traham moras.

§. VII. Nolim hic cursum sistere, ut respondeatur instantiæ de *Eremita, cujus actus alterius juri non subsint, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi possint.* Instantia debet afferre exemplum dissimile intra terminos, quibus quæstio continetur. *Grotius* ait, potestatem regendi rempublicam in civili ordine ac societate cognosci summam inde, quod ejus actus alterius juri non subsint, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti possint reddi. Instantia, sumit exemplum ab Eremitis extra societatem civilem degentibus, eamque quantum in se est, fugientibus; quos *Gregorius Nazianzenus* ita describit: τοὺς τὸν πάντη μοναδικόν τε καὶ ἄμικτον διαθλοῦντας βίον ἑαυτοῖς μόνοις προσλαλοῦντας καὶ τῷ Θεῷ, καὶ τοῦτο μόνον κόσμον εἰδότας ὅσον ἐν ἐρημίᾳ γνωρίζουσιν. *Solitariam prorsus & à societate remotam vitam amplexos, Deoque & sibi tantum colloquentes, neque aliud, mundum*

Oration. 21. tom. I. pag. 384. edit. paris.

esse

esse, quam illam solitudinem sibi notam, reputantes. Est præterea falsum, quod dicitur: *Eremitæ actus alterius juri non subesse, aut irritos reddi non posse.* Eremitæ enim actus, nisi qui à solo divino præcepto, cui magis obediendum, quàm humano, reguntur, semper agnoscunt jus superioris: in quantum ille superior vult aut cognoscit. Neminem enim tam absurdum fore credo, ut de incognitis actibus aliquid cogitet hic aut loquatur. Ita enim etiam in media civitate & societate actibus inferiorum incognitis intercedi non potest. Semper tamen tales sunt, ut cum inceperint esse cogniti, voluntate superiorum gubernentur. Quæ est autem hodie solitudo, quis angulus, qui non agnoscat alicujus civilis potestatis imperium: cujus auctoritatem scilicet nemo ἐν γωνίᾳ constitutus defugiat. Neque de eo, quod fiat circa eremitas; sed quid fieri possit: non, quid & quantum ipsorum actibus intercedatur; sed quatenus intercedi queat, jus denique non factum, quæritur.

De voluntate *successoris* infra ad II,14.11. &c. & II,7.27. agetur. Quomodo ipse, qui summam potestatem habet, possit voluntatem mutare, itidem suo loco clarius fiet.

Sequitur hinc doctrina *de duplici subjecto summæ potestatis, communi & proprio.* Ubi nihil equidem argutiæ aspersæ ab *Annotatore* morari quenquam debent: majora sunt, quæ turbis ciendis valere possunt, nisi penitius inspiciantur. *Commune subjectum* summæ potestatis,

Gro-

Grotio est civitas: *proprium*, personæ, una pluresve. *Lampadius* ita explicat: *Forma cujusq; imperii essentialis & subjectum adaquatum, non est vel Monarchia, vel Aristocratia, vel Democratia; sed forma hæ sunt accidentales, subjecto tantum communi differentes. Etenim respublica separatis temporibus & unum & paucos & multos potest habere dominos; qui quidem subjecto existentia differunt, non vero actu essentia. —— Potestas igitur essentialiter toti reipublica ut subjecto adaquato inhæret, extra respectum unius vel plurium. Quo respectu majestas recte dicitur indivisibilis, non quidem ratione objecti, sed potestatis occupata in rebus administrandis. At in subjecto communi existentia, prout res in republica gerenda divisionem vel speciem recipiunt, ita majestas potest in disparatis subjectis consistere.* Alii ita efferunt: Summa potestas sive imperium aut ordo imperandi parendique est in civitate, ut forma essentialis civitatis, sine qua civitas non esset civitas: Monarchia autem, vel Aristocratia, vel Democratia sunt formæ accidentales: potest enim civitas esse, etiamsi non hac illave forma regatur: modo aliquâ ex iis, quæ dari aut constitui possunt. *Grotius* suam doctrinam repetit & explicat exemplis, *lib. 2. Imperium*, inquit, *quod in Rege est, ut in capite, in populo manet, ut in toto, cujus pars est caput: atque adeo Rege, si electus est, aut Regis familia extincta, jus imperandi ad populum redit.* Mox: *Non desinit debere pecuniam populus rege sibi imposito, quam liber debebat: est enim idem populus, & do-*

part. 1. §. 59. & 60.

cap. 9. §. 8.

& dominium retinet eorum quæ populi fuerant, imo & imperium in se retinet, quamquam jam non exercendum à corpore, sed à capite. Bene addidit hæc postrema, ut consentiret hæc doctrina §. 8. *h. cap. III.* Nam cum civitas majestatem e. g. in unum plene & proprie contulit, ad jus quod transtulit provocare nequit: quippe non jam suum, nisi potentia i. e. in eventum in translatione expressum aut designatum: ut, cum is moritur, cui citra heredum mentionem, delatum est imperium; vel cum deficit familia, penes quam civitas summam potestatem residere voluit modo irrevocabili. Abuti videntur hac sententia, qui *Majestatem* faciunt *duplicem*, *Realem*, ut vocant, & *Personalem*: atque ita deinde explicant, ut induantur laqueis nunquam extricandis, si sibi velint ipsi consentire. Quare præclare animadvertit insignis Theologus *Joannes Gerhardus* ad illam vulgarem distinctionem allatam: *sed cavendum, ne hac distinctione abutantur seditiosi regicidæ, qui existimant, reges & Principes impune violari posse, absque majestatis, quæ regno proprie inhæreat, violatione.* Unde modestissimi quique fatentur, tum demum majestatem realem se exerere, si casus existat, qualem *Grotius* modo signavit. Quàm est enim absurdum; *duo summa* in una civitate constituere; & unum in ordine fundandi, alterum in ordine regendi ineptissime collocare? aut etiam (ita enim faciunt & tam pulcre sibi constant hi Philoso-

de mag. pol. §. 123.

v. Schütz. I. Publ vol. 1. disput. 3. th. 5.

P phi)

phi) majeſtatem perſonalem, majeſtati reali ſubjicere, & tamen ſummam poteſtatem dicere? Nam qui majeſtatem realem, *improprie* majeſtatem dici ajunt, jam victas manus dant, & non eſſe majeſtatem, quam ita deſcribunt, atque adeo ſe male aut monſtroſe diviſiſſe fatentur. Sicut & deſcriptione *majeſtatis perſonalis*, ſi uſquam ſtare debet, realis abſorbetur & extinguitur. Si enim majeſtas perſonalis habet ſummum & abſolutum jus in res & perſonas civitatis; in quibus perſonis & rebus ergo ſuum jus exercebit majeſtas realis? ſi legibus ſoluta eſt majeſtas perſonalis, quomodo majeſtas realis in legibus præſidium invenit contra illam? ſi perpetua eſt majeſtas perſonalis, ecquando realis illi intercedet, illamque opprimet? Fatentur etiam, ſubjectum majeſtatis realis inveſtigatu eſſe difficile. Si dicunt, eſſe majeſtatem realem in legibus civitatis fundamentalibus (quas ipſas varie deſcribi nec ſatis explicari, mos eſt) concedant neceſſe eſt, mutata forma civitatis, majeſtatem realem corruere, quam tamen perennem eſſe volunt. Forma enim civitatis, exempli gratia, Ariſtocraticæ, eſt in legibus ſtatum civitatis deſcribentibus, ut penes optimates imperium ſit, id eſt fundamentalibus huic ſtatui. Atqui poteſt mutari civitatis ſtatus, poſſunt leges fundamentales conſenſu totius civitatis aliæ poni, inducentes vel mixtum ſtatum, vel monarchicum. Ergo periiſſet cum legibus prioribus fundamentalibus, aut mutata eſſet maje-

majestas illa, quam immutabilem & perennem statuunt, & cum qua civitatem stare oporteat & cadere. Manet autem civitas, etiamsi alio atque alio tempore, diversa regiminis forma obtineat, aliterque constituantur & mutentur leges fundamentales. Nominare enim legem aliquam civilem fundamentalem quæ mutari prorsus nequeat, à ratione omni alienum est. Sed salva res est. Dubitant aliqui, an omnes respublicæ majestatem realem habeant. Iterum fatentur: discrimen majestatis realis & personalis in civitate populari seu politia non posse ostendi, cum utriusque idem subjectum sit. Denique si esset duplex majestas, ut describunt, æqualis utique esset utriusque latitudo. At quæ illi majestati reali jura attribuunt, ad νομοθεσίαν, & constituendum civitatis statum, quoad ordinem & modum imperandi spectant. Ubi ergo sunt cætera majestatis jura? Non fuerit alienum ab instituto, notare erroris fontes & consilia. Nam & errores amare & tueri, inter mores & artes sæculi est. Fefellerunt nonnullos exempla mixtarum formarum; earumque civitatum, ubi divisa sunt jura majestatis. Ad ea explicanda, opus sibi esse tam inexplicabili ambage, putarunt. Quidam cavere non potuerunt, quod civiliter philosophantibus cavendum esse Grotius paulo post monet; ne vocabulis & externo rerum schemate deciperentur. His ut res, quo volebant ipsi modo congruerent, nihil pensi moderatique habendum videbatur, si

v. Besold.

modo aliquid eſſet, quod diceretur. Sunt, qui, neſcio cujus ſapientiæ laudem in eo poni exiſtimarent, ſi dicerent: in Imperio Imperator habet majeſtatem perſonalem, Ordines realem. Quantum melioris illisque publicis philoſophis ignoratæ diſciplinæ requiritur, ut hæc, qualia ſint, cognoſcantur? ſed id non eſt nunc agendum. *Theodorus Grasſvvinckelius* ita cum vulgaribus illis philoſophis agit, ut dicat: ***majeſtatem realem deſinere, ut primum tranſierit in perſonam; ſi vero maneat realis, perſonalem nullam eſſe, ſed ejus tantum imaginem quandam, ratione curationis & adminiſtrationis.*** Accipio, ut ad infirmandam vulgarem ſententiam dicta. Nam ut credam, bene dici; ***in monarchia, ſeu regno perſonali tantum majeſtati, in plurium regimine***(adhæc enim duo reſpicit Graſvvinckelius) ***reali tantum locum eſſe:*** nondum à me impetro. Nec enim neceſſitas nos inevitabilis his appellationibus adſtringit: neque omnibus reipublicæ formis ita conſultum eſt: ſed nec vulgus placabitur, ſi voces ſuas aliter, quàm aſſuevit, explicari audiat; cum præſertim nihilo plus in Ariſtocratia, quàm in Monarchia de majeſtate perſonali dubitet.

I. M. cap. 10. & 11.

Civitatis vocabulo hic & alibi, *Grotius* utitur, ſicut in civili philoſophia eo uti potiſſimum debemus: ita ut modo cum populo (pluribus nationibus, urbibus, vicis, unam civitatem conſtituente) permutetur, modo, increſcente imperii amplitudine, multis populis, tanquam membris (quaſi nationum in

uno

uno populo rationem subeuntibus) constet. Ita una civitas fuit, quicquid Romanæ ditioni sub formula provinciæ accessit. Vulgo servire credo voluisse virum doctum, qui *civitatem* ab *imperiis* ita distinguit, ut imperium civitatibus constare, eamque quæ caput imperii sit, proprie civitatem esse, asserat. Possunt hæc augere licentiam loquendi, non tollere. Sicut nec illos probaverim, qui *civitatis* vocabulo, partem tantum civilis consociationis seu materiam, *reipublicæ* autem nomine formam tantum significare solent: atque hinc præclaras, si diis placet, disputationes procudunt; an, exempli gratia, *Bodinus recte Politica sua inscripserit de Republica?* Veteres, & ex junioribus eruditissimus quisque, & *Civitatis* & *Reipublicæ* appellatione, totum istud significant, quod & corporis & animæ communione se tuetur. Exemplum Romanæ civitatis, ut nunc accipimus, in sequentibus passim apud Grotium explicatur.

Elem. de justit. & jure part. 1. cap. 1. membr. 3.

Plurium populorum sive civitatum, unum caput esse posse, Grotius monet: & vel Hispanorum Regum exemplo, quos plurium regnorum dominos novimus, constat. Fit tamen sæpe, ut unius Regni nomen, ut Castellæ, & præsertim Hispaniæ, cæteras appellationes vel inumbret, vel complectatur. Variæ etiam incidunt mutationes: consiliaque & artificia politica hic regnant.

Ait amplius: *existere interdum corpus ex pluribus civitatibus, seorsum perfecto statu præditis,*

arctissimo fœdere naturam unius civitatis imitante. Exempla antiqui & novi generis conducit *Arnisæus.* Similitudo facit, ut sæpe tanquam de una civitate loquantur scriptores. Legi meretur *Jac. Gothofredi Achaica.* Ubi quæras licet, *an Achæorum reipub.* (ut vocant) *Germanicum nostrum Imperium* (is enim oratoris scopus est) citra rhetoricum inventum, *serio comparari possit?* Latent in hac quæstione magna quædam & ardua; sed hoc loco non attingenda.

relect. polit. lib. 1. cap. 4. sect. 2. §. 22. &c.

§. VIII. Ad explicationem summæ potestatis civilis pertinebat vel maxime, ut variæ falsæque & ad perturbandam omnem civilem societatem natæ sententiæ, quæ vulgi animos obsederunt, profligarentur. Qua in re virum se præstitit *Grotius:* qui h. §. *primam opinionem falsam* refutat, *de potestate populi in omni republica genere perpetua, Regibusque & optimatibus, sive in simplici, sive composito statu, supervecta.* At vero, *populos, & potuisse, & voluisse, omni ejurata potestate, solam obsequii gloriam sibi trahere, constat: & exempla regum regnorumque ἀνυπευθύνων* in promtu sunt. *Facultas* non indigebat demonstratione. Igitur verbo tangitur *similitudo privatæ servitutis,* lege *Hebrææ* (quam *Seldenus* explicat) & *Romana l. si quis filio exhered. §. irritum. de injusto, rupto testam.* §. 4. *Instit. de jure person. Voluntas* igitur operosius declaranda fuit: ut constaret, impulsos populos, ut vellent, unius aut plurium imperio sine exceptione subesse. Illustris est locus *Ciceronis,* quem Grotius attingit, in Officiis: *Atque etiam subjiciunt se homines imperio alterius ac potestati plu-*

De I. N. & G. VI, 7.

II, 6.

ti pluribus de caussis. Ducuntur autem aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præstantia, aut spe sibi utile futurum; aut metu, ne vi parere cogantur: aut spe largitionis promissionibusque capti: aut postremo, ut sæpe in nostra republica videmus, mercede conducti. Proponuntur autem, sub exemplo, hic caussæ voluntatem impellentes 1. *periculum interitus vel à vi externa, vel ab inopia, non aliter vitabile.* Sicut populo Romono se ita subjecerunt *Campani*, & alii, in Annotatis. In loco *Virgilij* decepit Grotium memoria, quasi, *tradere se regno*, conjungendum sit. Sensus enim longe alius est, cum Dido moritura imprecatur Æneæ, ne, cum post cruentum bellum *se sub leges pacis iniquæ tradiderit*, id est, talem pacem fecerit, quæ victori nec utilis satis, nec honesta sit, vel *regno* deinde, vel *optata luce* seu vita *fruatur.* 2. *habitatio aut libertas non aliter parabilis.* exemplo servorum Germanorum. Addatur *Legis Longobardorum lib. 2. tit. 35. l. 2.* constitutio Rotharis: *Omnes liberti, qui à dominis suis libertatem meruerunt, legibus dominorum suorum vivere debeant: secundum qualiter à suis dominis proprie concessum fuerit.* Cæterum ad Germanorum exemplum *Gottifredus Wendelinus in Glossario Salico vocum Atuaticarum* comparat *Lidos* sive *Litos* medii ævi: & id, quod Tacitus ut colono injungi ait, *colonitium* & *Litimonium* dici, uberius ostendit. 3. *ingenium libertatis non valde appetens, & regibus suetum.* 4. *auctoritas exempli eorum populorum, qui feli-*

Liv. VII. 31. Æn. IV, 619.

v. Lidus. p. 165.

 citer

citer regnati sunt: qui sensus in Hebræis apparuit tempore Samuelis. (1. Sam. 8. 5.) 5. στάσεις πολιτείας sive *tempora reipublicæ corruptæ perturbataque, nec nisi unius absoluto imperio sanabilis.* His caussis voluntatem populorum impelli potuisse, & impulsam sæpius esse, ut potestati se alienæ permitterent, constat. Atque hic voluntatis actio manifestior est. Sed & bello *victori quæritur in victos imperium*: qui modus necessitati propior est. Quamquam aliquid de voluntate trahere videatur, eo sensu, quem (lib. 3 p. 175. edit. Syll.) *Tullus* explicat apud *Dionysium Halicarnassensem*, ostendens primo δύο τρόπους κτήσεων, καθ' οὓς ἄνθρωποι γίνονται τῶν ἀλλοτρίων κύριοι, τόν τε ἀναγκαῖον καὶ τὸν ἑκούσιον, *duos esse modos acquirendi, quibus homines earum rerum, quæ alterius fuerint, dominium assequantur, necessarium & voluntarium:* deinde miscens utrumque modum, non ex vero minus, quàm ad speciem, in militari quæstu, de quo cœpimus dicere. In *regno* ista manifestiora fuerint. Sed nec *optimates*, populi ullam potestatem agnoscunt. Imo in ipso *populari imperio*, quæ est politia tam popularis, ubi ea populi ratio habeatur, ut uno numeri & multitudinis respectu (id enim idolum effingunt populares isti philosophi) omne rerum arbitrium, omnis summa potestas definiatur? si ad antiquitatem, & fontem prudentiæ eundum est, Athenæ non fuerunt Athenæ, quoties multitudo prævalida impetu suo trahere cuncta non sequi destinaverat. *Thucydidis* historia commentabitur, quod dixi. Ut autem

Athe-

Athenæ essent, quod dicerentur, opus fuit illo temperamento, quod eloquentia & prudentia incomparabili, summam, finem, complementum sui in patriam officii fecit *Isocrates.* Jam sicut Regi, sicut optimatibus subsunt, & citra exceptionem parendi obsequuntur populi; ita etiam *populo uni alios populos obtemperare*, sive unum populum esse aliorum populorum dominum, multis exemplis ostenditur. Et quia patroni popularis juris, *negant ullos fuisse reges ἀνυπευθύνους, quique populo non tenerentur rationem reddere*; *exempla talium, id est, verorum regum ex historia sacra & profana large afferuntur*: eademque opera declaratur, non esse veros reges, sed nominari tantum, qui populo subessent: quod de Spartanis veterum præcipui testantur: ipseque *Aristoteles* nihil aliud quàm præturam militarem fuisse docet. Ut scelesta prorsus sit impudentia *Miltonii* contrariam summo philosopho sententiam tribuentis: *Tale regnum*, inquit, *maxime omnium proprie & dici & esse regnum, sensit Aristoteles, quale apud Spartanos fuit.* Sed quid sani expectes ab eo, qui furoris parricidialis patrocinium suscepit? Ita historiam, philosophiam, divina iura pervertunt Furiæ istæ generis humani (quis enim homines diceret?) ut exitialem errorem de potestate populi tueri videantur. Quamquam quid est, quod non dogmatis auctoritatem obtinere possit, quando omnis solidæ eruditionis ignoratio & contentio unum eruditionis genus habetur? Nihil

3. polit. 10. & 11.

pro popul. Angl. c. 6.

verius est, quàm quod Grotius hoc loco de populi potestate in Cæsares Romanos translata dicit. Et tamen, in tanta luce rerum, repertus est mirus Legis Regiæ disceptator, qui nec phrasin veterum Græcam Latinamve intelligens, & rerum scenam qualis fuit sub priscis Cæsaribus vanissimis commentis invertens, nuper ludos faceret ad infamiam sæculi pertinentes. Denique, quàm non sit populi potestas semper summa, etiam hinc ostenditur, *quod respublica non sub unius potestate constituta, tamen aliquando desideraverint, quasi temporarium regnum, sive potestatem, populo nequaquam subjectam.* Ubi de *Dictatura* Romanorum: & *infra* §. *XI.* quo loco aliquid adjiciemus. Præmissa hac tam diligenti tractatione, *dissolvuntur rationes*, quibus multum gloriantur philosophi illi Demagogici. Et *primum* quidem argumentum facile evertitur. *Alterum* speciosius est, & *Aristotelis* auctoritate præscribi solet. Hoc *veluti fundamentum*, proponit *Fernandus Vasquius, regulam quandam quasi elementarem, ex qua bis centum fere definitiones derivari*, ait; in hunc modum: *Omnes omnino principatus, regna, imperia, potentatus legitimos, legum & hominum, ob publicam ipsorum civium utilitatem, non etiam ob regentium commoda, inventos, creatos, receptos, admissosque fuisse.* Hoc tam crude arreptum, quales definitiones pepererit, animadvertas facile. Connexa enim sunt violenta illa & importuna: omne imperium herile, imo omne

Contr. ill. l. 1. 10.

impe-

imperium, ubi imperantis utilitas quæritur, esse tyrannicum: omnes reges nihil aliud esse, quàm magistratus, quod *Althusio* inter solennia carmina placet. Cujus *Politica* non c. 9. & 24. tradit sane, qui civitatis finis & felicitas & tranquillitas obtineri debeat, sed quibus modis omne vinculum societatis & salutis civilis dissolvi ac everti possit. *Demagogica* appelles merito. Et tamen, quia Jureconsulti nomen præfert, & quædam subinde in ostentationem ejus scientiæ jacit, commendari iuventuti Academicæ audimus librum orco damnandum judicio eorum, qui venena à cibis distinguere didicerunt. *Bodinus* recte & graviter 1. de rep. 8. disserit, *quod opinio eorum, qui Principem imperio populari teneri tradunt, seditiosis ad res novandas materiam præbeat, ac rerumpub. perturbationem afferat.* Exempla postea imperii regii pleni, nec à voluntate populi suspensi ostendit apud Gallos, Hispanos, Anglos. Cordate in primis *Philippus Melanchthon in Epitome philosophiæ moralis: Sciendum est, dissimiles esse formas regnorum, & alibi alios esse gradus libertatis. Approbat autem Deus omnes formas imperiorum rationi & naturæ consentaneas.* Videnda etiam est ipsius annotatio ad 3. politic. Aristot. ubi quæstio movetur: *quam regni speciem approbet Deus.* Multa quoque commode in hanc rem dicuntur *in oratione Theodoreti septima de Providentia: ὅτι δουλεία καὶ δεσποτεία πρόσφοροι τῷ βίῳ. Feldeni* quædam ad h. §. ἄρρητα ἀμείνω. & prorsus spero fore, ut ipse corrigat & aboleat multa in

ta in illis annotatis, quæ an edi serio voluerit, nescio. Cæterum à fatali hoc & pestilenti errore, qui h. §. retunditur, suspensa est omnis illa rebellandi licentia, quam variis vocabulis præscribunt, adversus quos *sequens hujus libri caput* comparatum est. Patronos & præcones nefariæ philosophiæ recensuit *Arnisæus principio libri de auctoritate Principum in populum semper inviolabili*. Fuisse in illis magnos viros, dolendum: quorum aliquos animus arrogans, elatus, indomitus, ad fingendam & pingendam libertatem stoico supercilio forte impulerit: alios metus oppressionis & tyrannidis eo evibraverit, ut potestatem civilem bene constitutam negarent, nisi populo subjiciatur: nonnullis commentitiæ sapientiæ species placuerit, ut tali tanquam terriculamento reges, ne in tyrannidem elaberentur, retentatos cuperent. Hinc illa speciosa & subdola, quibus obtentu finis, quem optima civitas sibi proponit, meræ perfectiones adornantur: neque diversitatis ullius, vel ad populorum ingenia, vel ad temporis rationes, usus admittitur: sed jam μυθολογῆται πόλις. fingitur, ut fabula civitas; non quidem Platonico more, ad dubitandum & inquirendum pertinente, sed Giganteo ritu,

-----discrimina rerum
miscet turba potens.

§. X. Prima hæc cautio, *ne ex vocabulis, aut externo schemate, de summa potestate judicium fiat*, si nota fuisset recentioribus, non dedissent

ſent tam ridiculos ludos, in concinnandis quæſtionibus de *Majeſtate*. Quas ne repetendas quidem duco. Quæ de *Principis* ſignificatione, ut eminentem potius unius auctoritatem quàm poteſtatem notat, hic adfert *Grotius*, jam olim in *Batavia Antiqua* notaverat. Atque hinc mira oratoria copia & arte *Panegyriſta Trajani* ſententiis & laudationibus ſuis formam, habitum, vim & decus machinatur: ſi imperatorem plena liberaque imperii poteſtate præditum ita in republica verſari oſtendat, ut qui malit auctoritate, quàm imperio omnia obtinere, conficere, adminiſtrare. Qualia orationum & actionum ſimulacra ipſi quoque Imperatores haud raro adamarunt. Sed & nomen *Principis*, ad tegendam poteſtatem vere regiam, aut certe invidiam novi imperii civilitate appellationis amoliendam, ab Auguſto aſſumtum, retinuerunt. Unde male 1. de rep. 8. *Bodinus*, *Imperatores Romani*, inquit, *ſummam initio poteſtatem non habuerunt*, *ſed Principes tantum appellabantur*, *id eſt*, *in republica omnium primi*. *Quæ reipublicæ forma*, *Principatus non Monarchia vocatur.* Hunc in modum multi, & ſæpe, & poſt diſcuſſa expoſitaque à viris doctis omnia, hodieque imperitiæ ſuæ malunt ſpecimina publicare, quàm Rempublicam Romanam, & ſtilum ſcriptorum, qui res ejus tractant, condiſcere.

Ita dicit hic *Grotius*: *comitia ordinum non eſſe unius generis*: *quædam enim auctoritate conſilii cenſeri*, *quædam poteſtate decernendi ſive participa-*

cipa-

cipatione summæ potestatis pollere, aut summam potestatem prorsus obtinere. Quæ hujus, quæ alterius generis sint, ex legibus & descriptione cujusque reipublicæ judicandum est. Qua ultro neglecta, Comitia Imperii Germanici, quibus nihil habet orbis simile, comparari videas audias cum comitiis & conciliis Galliæ, Hispaniæ, aliorumque Regnorum: & Ordinibus Germaniæ, præter auctoritatem suadendi, nihil relinqui. Sed hæc alium habent locum.

Quod in fine §. dicitur, *Romanum Imperium per electionem conferri consuevisse*, caute accipiendum est. Nam Romanum Imperium inde ab instituta Cæsarum Monarchia, successione delatum est, nisi quotiens casu quodam vacaret rectore, quem lex successionis demonstrare posset; & quando tumultu, rebellione, seditione Imperator constitueretur. Historiarum gnari, non dubitant. Electio juniorum sæculorum est, & sacrosancta lege in Imperio Romano Germanorum stabilitur. Ad potestatem autem monarchicam nihil interesse, recte Grotius ait, *successione*, aut *electione* aliquis acceperit imperium.

§. XI. *Secunda cautio* primo *proponitur*: deinde *defenditur* (§. XII. & XIII) denique *exemplis* declaratur §. XIV. & XV. *Modos habendi* summum imperium assignat: *jus plenum proprietatis, jus usufructuarium, jus temporarium.* De primo in sequentibus latius agit. *Jure usufructuario* habere summum imperium ait *reges,*

tam

tam qui primi eliguntur, quàm qui electis ordine legitimo succedunt. Adde mox *cap.* 4. §. 10. & hic nota, ut Reges electi & succedentes jure usufructuario habeant summum imperium, non pendere ab electione & successione, ut in se spectantur, sed à voluntate populi ac deferentium significatione minime dubia. Exempli gratia, extiterit aliquis casus, quo populus se libere potestati unius permitteret (vid. §. 8.) & è pluribus hunc potius, quàm illum eligeret. Electio certe non præstabit, ut modus habendi diminuatur, si nihil exceptum aut disertis verbis expressum est. Nam ipsa successio continuare intelligitur jus, quale ab initio fuit. Nisi quod evenisse constat, ut quæ à principio usufructuaria essent imperia, postea fierent patrimonialia. Qua in re populus non factis modo apertis, sed & tacite primam voluntatem mutasse credi potest. Ergo, ut dixi, non ab electione & successione, jus usufructuarium pendet; sed à tali significatione populi instituentis imperium electione & successione, qua intelligitur, citra potestatem alienandi delatum esse imperium.

Juris summi temporarii exemplum in Dictatura Romana ponit Grotius. Nollem factum. Dictatoris enim imperium à Regio imperio non tempore tantum differt (nisi quod figuratæ locutiones ejusmodi reperiuntur) sed ipso instituto & forma rei. Cumque summum imperium, seu summa potestas, vel proprie dicatur (quæ significatio unice hujus loci est)

vel

vel ſecundum quid, in eo, qui vices ſummæ poteſtatis gerit, ſive mandatum vicariæ operæ accepit: primo illo ſignificatu Dictatori nullo modo ſummum imperium, ſive ſumma poteſtas competit. Quod tamen hic in quæſtionem veniebat. Meminiſſe enim debemus, dictaturam *magiſtratum* eſſe, cujus quantacunque ſit poteſtas (& ſolet in extraordinariis imperiis maxima eſſe) à ſumma tamen poteſtate dependet, & ejus vices, in quantum ea commiſit, præſtat. Unde non illud tantum ſpectari debet, quantum Dictatori commiſſum ſit: ſed à quo, & in quantum commiſſum ſit. At enim plena poteſtas, & ſine exceptione Dictatori permiſſa eſt? Nonne enim ſine
III, 20. provocatione fuit, apud *Livium?* Sed hinc nondum conficitur, ſummum & abſolutum imperium fuiſſe penes Dictatorem. Populi enim voluntas ſic intelligi debet, ſicut Rex aliquis conſtituere poteſt judicem, à quo in certis cauſſis non appelletur. Quo pacto non privat ſe ſuprema judicandi poteſtate, cujus vices alii in tantum commiſit. Quid? ſi totam adminiſtrationem regni alicui vicario delegaret, ut Pharao Joſepho. Non eſt Joſephi illa poteſtas, ſed Pharaonis: etiamſi dictum ſit, à Joſepho provocari non debere. Sed adverſus Dictatorem quidem Romanum, ſicut ab initio non valebat provocatio (quippe tanquam magiſter populi, vices populi gerebat) ita poſtea valuit, id eſt, populus eadem libertate, qua ſuas vices ad tempus Dictatori delegaverat,

rat, alio tempore ipſe implevit, & ad ſe à Dictatore provocari poſſe declaravit: ſicut luculente *Livii* hiſtoria oſtendit. Conſideretur etiam in primis plebiſcitum apud *Livium*, quo plebes ſcivit, *ut ſi M. Furius pro Dictatore quid egiſſet, quingentum millium æris ei mulcta eſſet.* Quæ rogatio quamquam novi exempli erat, de jure tamen populi teſtabatur. Apud *Eundem Hiſtoricum* fit SCtum, quo *formula mandati* Dictatori præſcribitur. Et factum Dictatoris invidia non caruit, *quia non expectata in eo* SENATVS AVCTORITAS *erat.* Iterum tribunus plebis ait: *Si antiquus animus plebi Romanæ eſſet, audaciter ſe laturum fuiſſe de abrogando Q. Fabij* (Dictatoris) *imperio; nunc modicam rogationem promulgaturum de æquando magiſtri equitum & Dictatoris jure.* Quæ rogatio etiam in plebiſcitum evaluit. Preces populi Dictatori admotæ, conſilium Populi oſtendunt. Quid ſi ſpreviſſet illas preces? dubium non eſt, quin potuiſſet populus jure ſuo contra Dictatorem directa via uti. Ita Principes ſæpe precibus agunt: ubi æquitatem extrinſecam ſuo jure poterant præſentius expedire. Melius ergo de Dictatore ſenſit *Bodinus*, qui productis *Livii* de provocatione ad populum à Dictatore verbis ſubjicit: *Quibus verbis planum fit, Dictatorem neque Principem, neque ſummum fuiſſe magiſtratum, ut plerique putarunt; ſed curatorem, quem noſtri commiſſarium vocant: nec aliud illi tributum fuiſſe, præter curationem belli gerendi, aut ſeditionis ſedandæ,*

VIII. 33. VI, 38. XXXII. 11. & cap. 23. Et cap. 25. 1. de Rep. 8.

dæ, aut reipublicæ constituendæ, aut magistratuum creandorum aut clavi figendi. Majestas vero, nec majore potestate, nec legibus ullis, nec tempore definitur. Negat, *Dictatorem summum magistratum fuisse*, eo sensu, quo summum magistratum nonnulli pro summa potestate sumunt, sive majestate, ut ipse mox interpretatur. De cetero, accurate loquentibus, Dictator est omnino *magistratus*, sed *extraordinarius.* Et *summi* quidem *imperii temporarii*, nisi latius aut figurare loquaris, Dictatura non præbet exemplum. Quæras, an omnino exemplum dari possit? Nolim dicere, esse impossibile. Sed res est tantis difficultatibus obsepta, ut non reprehendendus videatur, qui pæne pro impossibili habere velit, si de summo imperio, non vicario, agendum sit. Affert quidem in *Annotatis* exemplum *Grotius*,
lib.4. p.55. edit. Genev. ex *Nicephoro Gregora*: ubi Michael Palæologus ex administratore imperii, insignibus Imperatoriis ornatus, jurat, *se, si legitimus Imperii successor in suam tutelam pervenisset, illi cessurum esse solio imperatorio & omnibus Imperii insignibus.* Sed nec, quod juravit, servare unquam in animum induxerat: & ita res gesta est, ut pro invasore merito habendus sit. Apud *Curtium*
V,9. quoque quæstio illa notabiliter movetur scelesta oratione Nabarzanis: *Auspicium & imperium alii trade interim, qui tamdiu rex appelletur, donec Asia decedat hostis; victor deinde regnum tibi reddat.* —— *Bessum regem temporis gratia statuamus. Compositis rebus justo regi tibi*

tibi fiduciarium restituat imperium. Repugnat summo imperio seu summæ potestati, & majestati, *quicquid fiduciarium est, & à negotio certo ac tempore suspensum est.* Pertinebunt hæc etiam ad *administratores & curatores regni*, de quibus apud Grotium sequitur. Alienum jus tractant, non suum. Atque ut summum dicamus imperium, non spectamus tantum modum habendi ut tempore definitur, sed quo titulo & formula, suo denique an alieno jure habeatur.

§. XII. Quæ de libertate civili regno opposita hic Grotius adfert, male cepit *Feldenus. Boxhornius* quoque in illud *Taciti (libertatem & consulatum Brutus instituit)* non meliora annotavit. Quod enim libertatem sæpe regno opponant veteres, tum aliunde, tum ex allatis hic locis clarissimum est, ut frustra moveatur disputatio: an etiam in regno possit libertas esse.

Inter exempla alienati imperii enumerantur etiam XX. urbes, à Salomone traditæ Hiramo Phœnicum regi. De hac donatione ita statuendum arbitratur *Franciscus Hotomannus: Salomonem non perpetui juris & proprietatis ac dominii alienandi caussa oppida illa XX. Regi extero tradidisse: primum propter rationem religionis, qua sub extero Rege mutari aut corrumpi potuisset; deinde quia ne privatorum quidem possessiones mutare Regibus Israëlitis licuit. Quid ergo est*, inquit? *nimirum cum Hiramus magnam Salomoni pecuniam ad templum ædificandū credidis-* Quæst. Ill. 1.

Q 2 *didis-*

didisset, magnamque praterea materia vim illi ad idem opus vendidisset, neq; satisfacere illi Salomon per id tempus posset, de populi consilio Salomon ei XX. oppida fruenda dedit, ut ex eorum vectigalibus & fructibus suum Hiramus servaret; neq; illa emtionis jure, & ut proprietarius possideret, sed tantum quasi ἀντιχρέωμον, aut certe eo jure, quod Longobardi precariam appellarunt. Cujus rei etiam argumentum extat 2. Chron. 8. adificavit, inquit, oppida, qua Hiramus ei dederat, eaque ab Israëlitis incolenda curavit. Quibus ex verbis probabile est, non tantum Hiramum aliquanto post illa oppida Salomoni reddidisse, verum etiam quamdiu ipse illa possedit, Israëlitas in iis propter varietatem religionis non habitasse. Videtur Hotomannus eorum Hebræorum sententiam sequi, qui Regi fas non fuisse, regionem Judaicam imminuere, tradunt. Sed *Seldenus*, quem vide, ex Maimonide ostendit, Regem terras bello ultroneo absque Synedrii magni decreto suscepto quæsitas potuisse alienare. Josephus δωρεὰν vocat. Neque dubitant quidam, Salomonem vere tradidisse has urbes. Adeatur *Nicolaus Fullerus in Miscellaneis, & Samuel Bochartus.*

de I. N. VI. 16. sub fin.

V, 16.

Geogr. sacr. part. 2. lib. 2. cap. 4.

§. XIII. Quod ab initio dicitur, *de non prasumenda populi voluntate*, accipiendum est, ut congruat §. VIII. scilicet, ubi voluntas populi non est expressa, in dubio.

Quod *de commendatione filiorum ad successionem in regno*, dicitur, minus habet, quàm in re est, si Carolidas spectes. De Caroli Magni divi-

divisione regni inter filios alibi diximus. Et legi in primis debet *constitutio ejus de ea re*, apud *Goldastum*. tom. I. const. pag. 45.

Quæ de Ludovici Pii dono, Romano Pontifici facto in fine §. habentur, satis infirmantur per ea, quæ de vanitate supposititii instrumenti *Conringius* annotat *in libro de Imperio Romanorum Germano cap. VII.* De cætero infra quædam erunt monenda ad II, 9. 11. pag. 40.

§. XV. Quod de *tutela* hic dicitur, ita accipiendum est, ut in patrimonialibus regnis, sicut de cetero patrimonio, ita de regni tutela libere disponant, ad quos in familia jus tanquam familiare pertinet: cum in non-patrimonialibus nihil familiari dispositioni relinquatur, sed legis populique auctoritas publica rem conficiat.

§. XVI. Quæstio est gravis in thesi, & in hypothesi studio partium amplius intricatur, *de promissis & jurejurando Regum.* Atque illi quidem plane non sunt tolerandi, qui tam indistincte & de plano respondent, ut quid dicant, quidve ex dictis consequatur, parum cogitasse videantur. *Grotius* subobscure loquitur, de promissis, *quæ etiam ad imperii rationem pertineant.* Aut enim promiserit aliquid Princeps, quod ad jura majestatis pertineat, sive partes summi imperii, & usum summi imperii; verbi gratia, se non laturum leges, non gesturum bellum, nisi de sententia Ordinum: & tum partem summi imperii communicaverit, neque adeo potestatem summam habuerit totam. Aut promiserit

 jura-

juraveritve aliquid, non ad ipsum jus imperii sed ad modum administrandi pertinens, sive ad modum utendi illo jure: & tum non imminuerit imperium. Utrum autem fecerit, ex ipsa promissi & jurisjurandi formula, dictione, argumento judicandum est. Multum enim interest, *facultatem imperandi promittendo jurandove adstringat determinetve Princeps*, an *voluntatem declaret*. Potest fieri, imo solet fieri, ut Princeps absolutus juret, se jus sine ambitione & odio dicturum, consuetudines patrias non neglecturum, bonorum civium consilio usurum, & quæ alia ad laudem & virtutem boni imperii pertinent. In quibus, si nulla formula facultatem agendi imperandive imminui constat, manet summum imperium: nec promisso tali, etiam jurato, aliquid decedit. Quod enim velis dicere, qui jurat se hoc non facturum, aut facturum, is sibi facultatem aliter faciendi adimit: verum est, quantum ad virtutem & officium jurantis attinet. Sed summa civilis potestas non nisi expressa formula diminuitur: i. e. aut communicando, aut ex parte vel amplius abdicando. ut si quis juret: hanc partem potestatis ego solus non exercebo, sed socios agnoscam hos illosve: aut si quid præter promissa fecero, judicabunt & punient me illi istive. Priore modo communicaverit majestatem: posteriore abdicaverit. Qui enim puniri & judicari potest, non habet summam potestatem. Cum autem summa potestate revera præditus aliquid promittit, obligatur naturaliter Deo, cui omnis sum-

ſumma inter homines poteſtas ſubdita eſt. Sed quoad civilem obligandi rationem, non ſupereſt facultas, quæ obligationem ſummæ poteſtatis exequatur; & repoſcat promiſſa eo modo, quo ipſa ſumma poteſtas etiam ab invitis repoſcere & impetrare poteſt. Fieri enim nequit, ut aliquis ſit & maneat ſumma poteſtate præditus, & tamen cum civibus de exercenda illa ſumma poteſtate contrahat, per modum perfectæ obligationis, quæ alteri parti jus det cogendi. Qui enim hæc duo convenire & in una ſede morari fecerit, ille, quæ fieri non poſſunt, fecerit, & quæ intelligi non poſſunt, dixerit. Exempla familiaris, & maritalis imperii non ſatis huc congruunt. οὐκ ἔστι δόλου ὑγιὴς καὶ ἐῤῥωμένη ἡ εἰκών. Alia enim eſt ratio poteſtatis non ſummæ, alia ſummæ. Quamquam ubi eandem rationem ſubeunt, nihil proderit comparatio inſtituto Grotii. Certe maritus, ſi aliquid promiſit uxori, quod cum natura matrimonii & poteſtatis maritalis pugnet, non erit accurate loquendo maritus. Huc autem vergere debet comparatio. Neque poſſum omnino probare verba Grotii, quæ ſequuntur: *Fatendum tamen, id ubi ſit* (exprimi caſus, ut modo dixi, clarius debebat) *arctius quodammodo reddi imperium* (hæc & obſcure, nec ſatis animoſe dicuntur) *ſive obligatio duntaxat cadat in exercitium actus, ſive etiam directe in ipſam facultatem. Priore ſpecie actus contra promiſſum factus erit injuſtus, quia, ut alibi oſtendemus, vera promiſſio jus dat ei, cui promittitur: altera autem ſpecie erit et-*

iam nullus defectu facultatis. Hactenus equidem explicari commode ista possunt: & prioris speciei, in privilegiis quibusdam exempla sunt. addi tamen debet ad illa verba, quod *vera promissio jus det ei, cui promittitur*, jus istud non constare obligatione perfecte mutua (ut vocant) si promittens sit summa potestate proprie praeditus. Ad alteram speciem explicandam non sufficit addere: *Neque inde tamen sequitur, ita promittente superiorem dari aliquem; nullus enim is actus non redditur hoc casu ex vi superiore, sed ipso jure.* Hoc tamen sequitur, ita promittentem non esse eatenus superiorem, adeoque actum nullum esse ob defectum facultatis, sive ob abdicatam in tantum facultatem superioris. De hac enim quaestio erat. Exempla *Regum absolutorum, ad multarum rerum observationem obligatorum* opus habent diligenti discussione. De Hebraeis Regibus erudite disquirit & dubitat hoc loco *Wagenseilius* noster. In caeteris locum habere debet, quod ante diximus, quomodo Rex scilicet obligetur, an per modum voluntatis declaratae & sine imminutione summi imperii, vel per modum facultatis ademtae, sive deminutae summae potestatis. Utriusque enim generis exempla sunt. Non parum discriminis etiam subit jusjurandum Principis, ex forma & fine. Alius enim jurat, ut fiat Princeps: ita ut nisi juratus haec & ista promiserit, Princeps fieri & esse nequeat. Alius autem jurat, ut jam factus Princeps; & futurus Princeps etiam absque jure-

vid. Grasvvinckel. de I.M. cap. 10. & 11.

jurejurando. Ibi jusjurandum conditionem adipiſcendi Principatus notat: hic inter ſolennia delati Principatus noſcitur. Ibi βασιλεία κ̀τ νόμον plerumque cernitur, id eſt, regnum non vere-regnum: hic abſolutæ unius poteſtati ſæpe fit ut nihil decedat. Sed hæc non niſi perſpectâ penitus jurisjurandi formulâ, omnibusque in ea pragmaticis momentis conſideratis, ſolide dijudicantur. Quærit amplius Grotius: *quid ſi addatur, ſi rex fidem fallat ut tum regno cadat?* reſpondetque: *ne ſic quidem imperium deſinet eſſe ſummum, ſed erit habendi modus imminutus per conditionem, & imperium temporario non abſimile.* Poſſet aliquis dicere: hæc ad ſubtilitatem disputandi, quàm ad uſum vitæ & morem civiliter loquentium & philoſophantium aptiora eſſe. Semper quærendum τὸ δυνατὸν cum Ariſtotele. Δυνατὸν autem vocat, non quod cogitando ut poſſibile aut impoſſibile concipimus: Sed quod fere ſolet ita accidere. Temporarium autem imperium, pro imperio vere ſummo non agnoſci, ante diximus: cauſſa enim, ob quam temporarium eſt non perpetuum, aliquid continet, quod cum ſummi imperii natura pugnat. Et qui uſum vitæ in oculis habent, non putat dari exemplum Regis abſoluti, cui tamen ſumma poteſtas ſub clauſula commiſſoria, tradita ſit. Quod autem in vita fieri non ſolet, vix attenditur civilia tractantibus. Et exemplum Sabæorum regis hic notatum, ſicut barbariem ſapit, ita in

iis, quæ auctoritatem facere possunt, numerari non debet. Certe, qui sub clausula commissoria regnum accepit, non est ἀνυπεύθυνος, sed eo ipso judicio populi subjicitur: cui & cognitio tali clausula attribuitur, an rex fidem fefellerit. Ut existimare possis, si non hunc esse ipsum casum, qui mox §. XVII. exprimitur (*si quid sit additum, quo intelligatur regem cogi aut puniri posse*) valde tamen cognatum ac vicinum. Licet enim Regis ipsius voluntatem unicam velis attendere, & ad eam, totam exauctorationem ita referre, quasi sponte & ultro pactus esset; ego voló summam potestatem mihi traditam ita exercere, sicut bonum regem decet, aut, si aliter agam, regnum commisisse videbor; ut valeat illa distinctio & ille sensus qui §. XVIII. exprimitur: illuc tamen redeundum erit à consequenti, ut sponte & ultro τὸ ἀνυπεύθυνον à se abdicasse, id est, potestatem non summam accepisse rex talis censendus sit. Quare civiliora in judicando loquendoque

I. de rep. 8. secutum *Bodinum* nil verear affirmare, cum recitata jurisjurandi formula, quo se Henricus Polonis, postquam rex eorum electus esset, obligaverat, *Hæc formula*, inquit, *non regiam majestatem, sed Principis, id est, in Republica primi, conditionem sapit.* Extat similis formula, Stephano Batorio, cum Polonorum rex

ap. Chytræ. Chron. XXIII. pag. 628. creatus esset, à Proceribus præscripta; cujus in fine legas: *Et si (quod absit) in aliquibus juramentum meum violavero, nullam mihi incola*

regni

regni omniumque provinciarum uniuscujusque gentis obedientiam præstare debebunt: imo ipso facto eos fide & obedientia regi debita liberos facio; absolutionem nullam ab hoc meo juramento à quoquam petam, neque ultro oblatam suscipiam. Quid judicandum sit, jam diximus. Ponitur aliter exemplum dubitationis ad hunc locum pertinentis: *Si parte aliqua summæ potestatis sese Princeps abdicet, seu ea se non usurum promittat, tamen nisi vel illam potestatem in alterius manus resignet cum hoc effectu, ut iste jus habeat contra quosvis, etiam ipsum Principem, vi istam tuendi ac quosvis eum turbaturos reprimendi; vel concilio Procerum aut populi facultatem det, si contra faciat in ordinem redigendi; in legem quidem naturæ peccabit, si illam iterum usurpet, quo minus tamẽ id faciat, à subditis prohiberi non potest, ac validi erunt actus, qui hoc casu de facto suscipiuntur.* Hîc nisi singillatim, & distinctè certi casus explicentur, non erit vel lucis vel utilitatis multum in tali disputatione. *Ut Princeps aliquis se potestatis summæ parte abdicet seu ea se non usurum promittat, & tamen in incerto relinquatur, penes quem illa à Principe abdicata pars imperii sit,* puto non posse contingere. Si ergo constat, penes quem illa pars imperii sit, quam Princeps ejuravit, etiam constabit, à quo contra quemcunque vi defendi possit. Quicunque enim e.g. habet unum jus majestatis, is contra non habentem (etiam Principem, qui hic non spectatur ut Princeps) naturaliter id tueri posse intelligitur:

tur : nisi disertis verbis aliud convenerit. *Deinde*, ubicunque Princeps partem summæ potestatis abdicavit, quoniam ea nec abesse nec pro derelicta à republica haberi, aut penes quem sit ignorari potest, mixtus reipublicæ status sit necesse est. *Tertio*, in mixto statu naturale est, ut qui jura majestatis non sua, id est, penes alios constituta invadant, vi repelli possint ab iis, quorum jura invaserunt. Nisi quod (*quarto*) difficilior nodus est, in communi jure. e. g. si quædam jura majestatis in mixto statu Princeps cum Optimatibus communia habeat, eaque sibi soli trahere incipiat, neque in descriptione reipublicæ dictum sit, quid tali casu faciendum. Aut si quædam in tali statu jura solus Princeps habeat, iisque abutatur. Debebant hæc atque talia præveniri legibus rempublicam describentibus. Neque non potest ratiocinando colligi, quid facto usus. Sed multis cautionibus in deliberando animus distrahitur. Jam si (*quinto*) Princeps *concilio Procerum aut populo facultatem dedit, in ordinem redigendi contra promissa facientem*, non video cur non queat prohiberi facere, aut cur facta valere debeant. Qui enim facta punire potest, etiam impedire poterit, ne fiant. Imo, qui concedit alteri jus puniendi in se, ille multo magis concessisse intelligitur jus inhibendi. Et qui judicium de facto suo aliis detulit, ille etiam facultatem statuendi, an, valere debeat factum, commisisse putatur. Nisi disertis verbis a-
liud

liud ostendatur. Neque credo, in voce *subditorum* argutias quæri. Neque enim quid promiscue subditis liceat, quæstio est: sed quid concilio Procerum, quid populo liceat, quibus Princeps eam, quæ describebatur, facultatem dederit. Iterum hic notandum est, talem facultatem Proceribus aut populo à Principe non deferri in republica simplici. Cur autem in mixto statu, aliqua pars suo jure nequeat uti, difficile dictu est. Addenda sunt, quæ mox apud Grotium sequuntur.

§. enim XVII. ingreditur *Grotius*, & ad §. XXI. pertexit arduam, neque in hunc diem satis expeditam quæstionem de statu Reipublicæ mixto: ubi majestas, quantum ad partes, in diversis subjectis consistere animadvertitur. Id est: potest fieri ut hoc jus, aut hæc jura majestatis sint penes unum; illud aut illa penes Optimates: aut aliter. Quot enim genera mixturæ talis dari possint, disputant. In quo mihi semper placebit, usum & exempla vitæ intueri, & *Taciti* judicium in nonnullis sequi, quod ille de forma reipublicæ ex omnibus simplicibus mixtæ tulit: *Delecta ex his & constituta reipublicæ forma laudari facilius, quàm evenire, aut si evenit, haud diuturna esse potest.* Ita autem incedit Grotius, ut §. XVIII. & XIX. removeat *apparentem mixturam*; deinde §. XX. ponat exempla *veræ mixturæ*, quæ tamen ut postea monebitur, dubitatione non carent. Ceterum sicut apud veteres, ipsumque *Aristotelem* vocabulum mixtæ rei- 4. A. 23.

publi-

publicæ non uno modo ſumitur, nec raro de mixtura non vera uſurpatur: ita hodie plerumque confunditur id, quod ad modum adminiſtrandi pertinet, & mixturæ quandam ſpeciem habet, cum eo quod ad ipſum ſtatum reipublicæ pertinet, in quo ſolo quærenda mixtura eſt. Forte igitur non inconſultum fuerit *temperamentum* à *mixtura* diſtinguere; & *hanc* ad ſtatum ſive formam reipublicæ, *illud* ad modum adminiſtrandi ſtatum referre. Quo ſenſu dicere licuerit, regna quædam *Ariſtocratice temperata* (quantum ad modum exercendæ ſummæ poteſtatis) non tamen *Ariſtocratice mixta*, quantum ad formam ſive ſtatum ipſum. Removendæ etiam ſunt ab hoc argumento *ſpecies ſpuria mixtionis*; ex pluribus monarchiis, ex pluribus Ariſtocratiis: quæ nec evenerunt unquam, & ex falſa definitione mixtæ formæ procuduntur. Sed hæc amplioris ſunt diſquiſitionis. Nobis ad Grotium revertendum eſt. Qui exemplum diviſæ per partes ſubjectivas ſummæ poteſtatis h. §. etiam hoc ponit: *Sic cum unum eſſet imperium Romanum, factum tamen ſape eſt, ut alius orientem, alius occidentem teneret, aut ut tres etiam tripartito orbem regerent.* Sed hæc populariter i. e. vulgi non ſapientum more dicta intelligi par eſt. Accurate loquentibus, diſtinctio rerum nominumque ſemper in promtu erit hoc modo: Quoties duo Imperatores, unus Occidentale, alter Orientale imperium tenuere, plena uterque poteſtate; tum nomine

unum

unum fuit imperium Romanum: re vero ipsa, & accurate loquendo, duo fuerunt *regna* distincta. Quoties duo aut tres Imperatores Imperium indivisim tenuerunt, ut alter sine altero non posset decernere; non fuit accurate loquendo regnum seu monarchia, sed *Aristocratia Duumviralis*, *Triumviralis*. His in exemplis nulla talis divisio summæ potestatis facta est, de quali hic sermo est. De regni Francorum divisione in plura regna, diximus in Lothario I.

Exemplum, quod ex *Platonis tertio de legibus* Grotius affert, non minimum habet dubitationis. Ponuntur ibi *τρεῖς βασιλεῖαι tria regna*, & *βασιλευόμεναι πόλεις τρεῖς*, *totidem urbes quæ regnantur*. Illi reges adstricta potestate utebantur, non infinita & libera, &, si limites potestatis excederent, coërceri poterant & à suis civibus, & à ceteris duabus civitatibus. Quod si ex modo concessæ potestatis imperarent, & cives ita imperantibus parere dedignarentur, iterum reliquarum civitatum duarum reges civesque unius civitatis refractariis civibus obviam ire, eosque in ordinem redigere debebant. In hoc enim instituti totius nervus fuit: *τὸ βοηθοὺς εἶναι τὰς δύο ἐπὶ τὴν μίαν ἀεὶ πόλιν, τὴν τοῖς τεθεῖσι νόμοις ἀπειθοῦσαν.* *ut duæ civitates adversus unam legibus semel positis non parentem auxilio essent.* *Jo. Serranus* ad fabulas Doriensium refert (haud dubie, quia non satis consentit cum aliorum historia) & *ὑποθέσεως χάριν* assumtam putat ad demon-

tom. 2. p. 684. edit. Stephan. 1578.

stran-

ſtrandum, non poſſe ſocialiter & feliciter vivi, niſi imperandi parendique neceſſitudo graviter ſanciatur. Sit hiſtoria; non ſatis tamen deſcribitur, ut judicari accurate poſſit. Ex hac certe, quam habemus, deſcriptione, partitio poteſtatis non ad tres civitates pertinebit; in quibus fœderis ratio ſcilicet locum habet. In ſingulis autem civitatibus, qualis videatur regum poteſtas fuiſſe, jam diximus. Quid ſentiendum ubi unus tribus regnis, ut diverſis, præeſt; aut ubi unum regnum inter plures dividitur, partim ſupra dictum eſt, partim ſuo loco dicendum erit. Ita non poterit obhærere, qui conſiderabit omnia diligenter, ad exempla, quæ in *Annotatis* ad h. §. ponuntur.

§. XIX. *Polybius*, non alienus à cupiditate philoſophandi, & oſtentandi eloquentiam, cum conſtituiſſet laudare formam Reipublicæ Romanæ, omnem hujus diſſertationis ſummam retulit ad illam diſputationibus veterum tritam ὑπόθεσιν, ὅτι ἀρίστη πολιτεία ἡ ἐκ πάντων τῶν εἰδῶν συνεστῶσα: *optimam eſſe, quæ ex omnibus formis ſimplicibus delecta & conſtituta eſſet.* Igitur recte animadvertit Grotius, non eſſe illi ſententiæ auctoritatem exempli tribuendam, quæ cauſæ ſerviret. Ipſe autem dum dicit, *Remp. Rom. fuiſſe mere popularem*, non auſus eſt fortiter tueri ſententiam: quippe, quæ valde imminuitur per ea, quæ §. *ſeq. XX. ſub finem* afferuntur de *mixtura* quam ad primordia Taciti amplius explicavimus, neque adhuc

huc diſcedendum à Taciti ſententia arbitramur. *Polybij* exemplo, *Contarenus* diſſeruit, Venetorum Rempublicam, quæ politico judicio Ariſtocratica eſt, ex tribus ſimplicibus formis componi. Accedunt ad hunc diſputandi morem conſilia politica: & artes variæ. Sunt, qui abſoluta poteſtate monarchica gaudentes, libenter patiuntur, tanquam de participato imperio, in vulgus imagines edi. Ubi ad rem ventum eſt, ſatis intelligas, non extorqueri facile clavam è manu Herculis. Nam Cromuelii ratio, dominationis abſolutiſſimæ, ſed per ſcelus inductæ, invidiam amoliri conantis, objecta imagine *conſtitutæ Reipublicæ Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ*, ultro palpandam ſe præbet. Objiciam hic cogitationem, veterum monumentis interpretandis, non ſemel profuturam, ex ſenſu & more noſtri ſæculi. Inſtituat aliquis ſcribere *Jus publicum diverſorum regnorum*. Scio, ubi malam gratiam inibit, ſi ponat rem veram & nudam, detractis ſimulacris, tanquam larvis, quibus utendis aut tolerandis Princeps aut cives aſſueverunt. In eadem republica unus Princeps, jus regium animoſius prædicari, alius ne attingi quidem volet. Quales varietates voluntatum, temporum, conſiliorum non paucæ obſervari poſſunt ab idoneis ingeniis.

§. XX. Plura ſunt hic notanda. Ab initio §. videtur Grotius ſtatuere, imo vero ſtatuit, *ſpecies regni, inter regnum plenum & regnum Laconicum interjectas, eſſe vera exempla partitæ*

summa potestatis, & *mixtæ reipublicæ*. Sed hoc admitti non posse, vel *regnum Barbaricum* ostendit. Quanquam nec in *Heroico regno*, qua tali, mixtura opus est.

2. Quod Hebræorum regnum, ut exemplum mixturæ affertur, itidem parum in expedito est. Quamquam id *Wilhelmus Schickardus in Jure regio Hebræorum* adstruere instituat. Nam de verberibus quidem Regi inflictis merum commentum esse, *Wagenseilius* noster monstrat. Et de *judiciis*, extra dubitationis aleam res nondum est constituta. *Salmasius in*
cap 2. *defensione Regia*, παμβασιλείαν in Regibus Hebræis agnoscit. Sed ei in hoc genere literarum non possumus multum tribuere.

3. Quod de *excalceationis lege* habet, referes ad eam, de qua agitur *Deut.* XXV. Est enim alia huc non pertinens *excalceatio in contractibus*, de qua *Seldenus*.
de I. N. & G. VI. 5. p. 687.

4. *Isidori Pelusiota* verba sunt: τῇ γὰρ θείᾳ δίκῃ μόνον ὁ τοιοῦτος ὑπεύθυνος. *Divinæ enim tantum vindictæ hic talis obnoxius est*. Distinguit *Isidori Epistolas*: quarum plerasque *Conradus Rittershusius* Latine conversas etiam notis illustraverat. Postea quingentas amplius in Vaticano repertas *Andreas Schottus* publicavit. hæ Grotio *postremo editæ* vocantur. Accessit autem interea alia editio, novissima *Parisiensis*, quæ conjunxit seorsum diverso tempore editas.

5. De Romanorum regno (in quo etiam mixtæ reipublicæ exemplum collocat *Grotius*) notan-

notandum, 1. de forma reipublicæ sub Romanis regibus non uno modo esse loquendum. Quin enim Romulus libero imperio regio fuerit usus, quod nulli mixturæ locum relinqueret, *Tacitus* non dubitat: *Nobis Romulus*, inquit, *ut libitum, imperitaverat.* Mixtura igitur si qua fuit, postea locum invenerit, possesque huc referre, quæ apud Tacitum sequuntur, de Servii Tullii νομοθεσία. 2. Qui accurate velit rem judicio politico prosequi, cum omnia collegerit de jure Regum Romanorum, fatendum habebit denique, puto, quædam deesse in historia, ad ferendam citra dubitationem de mixtura sententiam. Locus *Halicarnassensis*, cujus hic mentio, requirendus est *ex lib. IV. p. 224. Sylb. edit.* 3 A. 26.

6. Quod sub finem de Atheniensium republica exemplum petitur, in eo valde metuo, ut recte capiat *Isocratem* Grotius. Res ita habet: Respublica Atheniensium vere & proprie fuit popularis, sed ex instituto Solonis Aristocratice temperata, non mixta. Id temperamentum ubique & semper commendat Isocrates: videns scilicet, subinde cives à bonis politiæ rationibus declinare ad licentiam popularem, qua is reipublicæ status plurimum periclitatur.

Atque hactenus Grotius, ab *initio quidem capitis* usque ad §. VI. *bellum* publicum & privatum distinxit explicavitque: *à §. autem VI.* occasione belli publici à summa potestate gerendi, *summæ potestatis naturam, partes, sub-*

jectum pertractavit: *refutatis erroneis opinionibus*, & *cautionibus* ad rei naturam amplius declarandam *adhibitis*. In quibus cautionibus, *variæ quæstiones* occasione exemplorum occurrerunt, quibus status omnis reipublicæ quodammodo illustrari potest. Nunc autem à §. *XXI. usq; ad finem* quædam *quæstiones* eodem pertinentes, ut natura & ratio summæ potestatis amplius declaretur, & quid eam imminuat, aut non imminuat, ostendatur.

§. XXI. Fœderis inæqualis significationem inesse illi formulæ notat Grotius, *de conservanda comiter majestate alterius populi:* explicatque & *hic*, & *infra* II, 15. 7. Omnino autem hic legenda est *Ciceronis* explicatio, ex
cap. 16. *oratione pro Balbo: Adjunctum illud etiam est, quod non est in omnibus fœderibus: majestatem populi Romani comiter conservanto. Id habet hanc vim, ut sit ille in fœdere inferior. Primum verbi genus hoc conservandi, quo magis in legibus quàm in fœderibus uti solemus, imperantis est, non precantis. Deinde, cum alterius populi majestas conservari jubetur, de altero siletur: certe ille populus in superiori conditione causaque ponitur, cujus majestas fœderis sanctione defenditur. In quo erat accusatoris interpretatio indigna responsione, qui ita dicebat, comiter, esse communiter: quasi vero priscum aliquod aut insolitum verbum interpretaretur. Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur: qui erranti comiter monstrat viam; benigne & non gravate. Communiter quidem certe, non convenit. Et simul absurda*

res est, caveri fœdere, ut majestatem populi Romani communiter conservent: id est, ut populus Romanus suam majestatem esse salvam velit. Quod si jam ita esset, ut esse non potest, tamen de nostra majestate, nil de illorum caveretur. Ex Cicerone desumsit pleraque *Proculus* in sequentibus.

Jura *protectionis, advocatiæ, mundiburgii* eodem pertinent. Quo de argumento, ad exemplum diligentis scripturæ egit *Magerus*. De *Mundeburdio, Mundeburde*, vide *Hieronymum* pag. 405. &
Bignonium in eruditis ad formulas Marculfi no- 406.
tis, ubi per *defensionem, tuitionem* explicat: & *G. I. Voss. in Latino-barbaris.*

De *jure urbium matricum in colonias*, Grotius *hic* & II, 9. 10. Add. *Henric. Vales. ad Excerpta* p. 6, & 7.
Peiresiana.

In fide esse, quid sit, hic explicat Grotius de fœdere inæquali & clientela. Unde apud *Flo-* 3. 1. 3.
rum conjunguntur ista: Numidiæ *regnum in S. P. Q. R. fide & clientela erat.* Et apud *Livium* (VIII, 1.) *in fide esse*, & *in ditione esse* differunt. *infra* tamen *in hoc opere* (III, 20. 50.) *in fidem venire*, & *in fidem se tradere*, plenam subjectionem notant. Quare apud *Julium Cæsarem*, accuratissimæ Latinitatis scriptorem distingui videas, & ἐπεξηγητικῶς declarari, *τὸ in fide & ami-* V, de B. G.
citia esse, & τὸ in fidem & potestatem venire. II, 13. & 14.

Objectio prior, videtur abjudicare inæqualiter fœderatis summam potestatem, quia rei possent fieri apud superiorem fœderatum & puniri. Negat Grotius, hoc genus judicandi

arguere veram subjectionem eorum, qui judicantur: eamque rem partite ac subtiliter in certos controversiarum locos tribuit. Ad *postremam speciem* compares licet exemplum fœderis ex Platone allati §. XVII. ubi omnino sociis in tali casu, cognoscendi jus esset. Quamquam ibi de *inæqualitate* fœderis, nihil dicitur. *Objectio posterior* facile & abunde expeditur.

Quod *sub finem* §. dicitur de imperio, in quod fœdus inæquale degenerare solet, quodque obtentu fœderis talis haud raro affectatur, ad prudentiam civilem pertinet, in tractandis consiliis circa ejusmodi fœdera & clientelas. Non enim inepte vulgo usurpatur: *clientelam primum esse ad servitutem gradum.*

§. XXII. An *stipendii pensitatio*, cum summa potestate stare possit, quæstio est. Et *Vellejus* quidem *Paterculus*, *stipendii* voce aliquando describit plenam subjectionem. Sed id figuratum est. Nam, qui subjecti sunt, omnino tenentur stipendia & tributa pendere. Sed non ex converso, qui tributum ex pacto aliquo solvunt, etiam subjecti censentur.

§. XXIII. Originem Feudorum alii aliunde arcessunt. Potior tamen est sententia Grotii, cui astipulantur *Magerus* & *Antonius Dadinus Alteserra* in egregio libello, cui titulus: *Origines Feudorum.* Addendus est *Bignonius* ad *formulas Marculfi. Infra hoc opere* II, 7. 21.

de Advoc. arm. c. 15. §. 65. p. 471. & 552.

Feuda

Feuda quædam eſſe *ſpeciem fœderis inæqualis*, Grotius dicit. At enim quomodo conveniant & differant feuda & fœdera inæqualia, diligenter inquirit *Magerus*. de adu.c.15. §. 42. &c.

Videantur obſtare huic ſententiæ, *de ſumma poteſtate per feudalem nexum non imminuta*, quæ diſputat *Fernandus Vaſquius*, quando *plus domino feudi in vaſallos, quàm Principi in cives concedit*, *in controverſiis illuſtribus* I, 5. 11. *&* 12. *I*, 6. 6. *I*, 8. 11. *&c.* Sed nimirum *Princeps*, quem ille *merum & ſimplicem*, ſive *jus ſimplex Principatus habentem* vocat, non habet jura regia: & nihil aliud eſt, quàm Ariſtotelis βασιλεὺς κατὰ νόμον. Juvabit legiſſe, & ad hunc locum retuliſſe in *Franciſci Hotomanni Quæſtionibus illuſtribus trigeſimam quintam: an Imperator de Ducatu, quem ante adeptum Imperium habuit, etiam poſt Imperium adeptum fidelitatem præſtare debeat.*

IN LIB. I. CAP. IV.

HOc & præcedente capite *Grotius* præclare meritus eſt, cum de toto ordine imperandi & parendi, ſine quo humana nulla ſocietas poteſt ſubſiſtere, tum de ſecuritate & tranquillitate omnium rerumpublicarum: adeoque nobiliſſimam Politices πραγματείαν, deterſis undecunque adſperſis offuciis & corruptelis variis expugnatis, præclaro vindiciarum genere aſſeruit. Cum autem hæc diſputatio ad omnem vim, quæ adverſus ſummam

potestatem comparatur, pertineat, ex instituto tamen operis, ut *de bello subditorum in superiores* inscriberetur, ratio fuit. Quantum præstiterit, intelligetur, si aliorum quoque in hoc genere opera comparentur. *Gulielmus Barclajus adversus Monarchomachos* ab ipso Grotio h. cap §. 7. 10, 11. laudatur. Adversus illum, *Bellarminus* stilum strinxit *in libro de potestate summi Pontificis*: qui liber anno 1610. Parlamenti Lutetiani placito lib. 1. damnatus est, teste *Gramondo. Arnisæum de auctoritate Principum in populum semper inviolabili*, supra nominavimus. Cui similis est p. 236. *Alberici Gentilis disputatio, trium regiarum*, quas vocat, *una, de vi in Principes semper injusta*. Bene & cordate etiam *Samuel Bochartus* hoc argumentum exequitur *in epistola anno* 1650. *ad Sacellanum Magnæ Britanniæ Regis Morleyum scripta*, ubi ad *trium quæstionum* præcipuam, *an resistere Regibus liceat*, respondet. Multa quoque hujus generis reperiuntur *in opere* pag. 205. *Goldasti* ante laudato. Deteriorum dogmatum auctores, & rerum turbandarum artifices ab *Arnisæo* enumerari, jam indicavimus: & de consiliis plerorumque, aliquid monuimus. Cordatius se gessit *Sorbona Parisiensis*, non tantum *condemnato sua censura Becano, tyrannicidas impune in capita regum provocante* (*vid. Gramond. lib.* 1.) sed etiam in actione adversus Jesuitas, ante annos circiter viginti, non segniter agitata, & post suppressa.

§. I. Quæstio est, *quid liceat adversus summam potestatem, aut adversus inferiores quidem*

pote-

potestates, sed summæ potestatis vice auctoritateq; agentes quid in has liceat, inquam, *citra mandatum summæ potestatis*, aut *citra jus adversus eas peculiariter acceptum*. Hic distinguuntur illa: *non parere illicita per injuriam imperantibus*; & *vim opponere imperantium injuriæ*. De non parendo illicita imperantibus etiam *alibi* agit *Grotius*. *Hierocles* in hac dubitatione caput l. 3. 9. caussæ petit, & præclare monstrat: *virtutis* 2. 26. 3. *leges esse divinas, sive recta à divina lege præcipi. Igitur si, verbi gratia, parentes jubeant ea, quæ repugnent legibus virtutis, sive legi divinæ, non his mandatis, sed superiori illi legi divinæ*, sive naturali, *parendum esse*. Ordo enim imperandi & parendi, cum totus consideratur, incipit à divino imperio, cui omne humanum imperium subjungitur, & subjungendo conjungitur. Quod autem in ordine, sub alio ita constituitur, ut ab eo modum, vim, decus accipiat: illud repugnare isti supremo, unde suum ordinem & vim accipit, non potest; aut si repugnat, id est, sui ordinis limites egreditur, perdit auctoritatem suam, & jus suum, quod non nisi in ordine instituto & per eum jus est. Existimant aliqui: *Si sola executio rei, quam scis esse illicitam* (nam de dubiis alia quæstio est) *tibi mandetur, reatum metui non posse, qui in solidum ad mandantem pertineat.* Sed huic sententiæ obstat. 1. *neglectus ordinis*, de quo dixi: dum concurrit, mandatum juris naturalis ac divinum, & mandatum humanum. 2. *ministerium quoque*, in talibus, *cri-*

III, 9. *men esse* ostendit & obtinuit *Plinius in Epistolis.* 3. *Doëgi exemplo* stabilitur contrarium. Is enim cum maluisset mandato Saulis parere, quàm juri naturæ, quod innocentium cædem abnuit; impium facinus commisisse, & perniciem sibi accivisse pronuntiatur. Conferenda est historia 1. *Reg.* 22. cum *psalmo* 52. *Theodoretus*
in 1. Reg. quæst. 54. quoque, *ἀξιέπαινοι δὲ*, inquit, *τοῦ Σαοὺλ οἱ δορυφόροι. οὐδὲ γὰρ τοῦ βασιλέως προστεταχότος ἠνέσχοντο τῇ κατὰ τῶν ἱερέων μιαιφονίᾳ μιᾶναι τὰς χεῖρας, ὁ δὲ Δωὴκ τὸν δυσσεβῆ τοῦτον ἐτόλμησε φόνον, καὶ τοὺς πεντήκοντα καὶ τριακοσίους ἱερεῖς κατέσφαξε. Laude digni sunt satellites Saulis. Neque enim, ad mandatum regis, sustinuerunt manus infanda cæde Sacerdotum contaminare: Doëg autem impiam cædem ausus est, facere, mactatis trecentis & quinquaginta Sacerdotibus.* Quod de *hostili animo* talia mandantis affertur, partim valde restringetur per *Grotiana* monita *h. cap.* §. 2. & 7. & *lib.* 2. *cap.* 1. §. 9. partim nondum in expedito est. Quid enim liceat civium singulis, in regem hostiliter (in singulos scilic.) animatum, declaratione opus habet suo loco. *vid. Polyb. judic. de Dicæarcho lib.* 17. *pag.* 772.

§. II. Naturalis facultas resistendi injuriam inferentibus, sive arcendi injuriam, restringitur hic ex hypothesi constitutæ societatis, & instituti imperii. Stare enim simul non possunt, licentia resistendi, & facultas imperandi. Non eximitur plerisque, quin de hac re semper ita disputent: quasi & æqualitas omnigena, & libertas resistendi in infinitum, naturaliter omnibus convenerit mortalibus: à

quo

quo naturali jure, recedendum ſcilicet fuerit conſtituendæ civitatis cauſſa. Verum ſi ὑποθέσεως χάριν iſta aſſumuntur, ut multa hujus generis ad declarandas rerum utilitates aut habitudines aliunde aſciri mos eſt; nemo valde repugnaverit. Neſcio autem, an ſatius ſit, ſine ambagibus, veritati præſentiore conſilio operari. Jus defenſionis & reſiſtendi injuriæ, nunquam naturale fuit, niſi cum reſpectu ordinis, ſive ſalvo ordine, quem natura ſocialis ſuo fini conſequendo, ſupremo loco deſtinavit. Naturalis eſt hæc reſtrictio: ſive ineſt in jure reſiſtendi naturaliter hæc exceptio, *niſi reſiſtendo violetur ordo ſocialis*, cujus primam & ſummam rationem ipſa natura habet. Niſi enim hæc cautio accederet, tum ſane fieret, quod in hypotheſi prolixe figurant, & ſocietas ordinis neceſſarii & naturalis ratione non cuſtodita, inſociabilis fieret.

Locus *Homeri* ex *Odyſſea Jota v.* 114. & 115, *Cyclopum* δίαιταν *exponens*,

—— θεμιστεύει δ' ἕκαστος
παίδων ἠδ' ἀλόχων,

hic ad deſcribendam cyclopicam vitam, quæ notat ἀναρχίαν, affertur, quod mireris. *Ariſto-* 1. polit. 1.
teles enim, ut ſupra diximus, aliter & in meliorem partem interpretatur, hinc ratiocinans: ſi Cyclopes etiam neceſſitatem regiminis & imperii, ſaltem domi ſuæ agnoſcunt, quanto minus alii negabunt. In primis, quantum ad unius imperium attinet. Quo & *Plato* 3. de ll. p. 630.
refert: oſtendens illam δυναστείαν οἰκονομικὴν, ut

ſic

ſic vocemus, apud *Clyclopes* fuiſſe rudimentum regni: unde comparantur & ἐκ τῶν Ὁμήρου ponuntur *οἱ πατρονομούμενοι* & *βασιλευόμενοι*, *qui patris & qui regis imperio reguntur.* In *Ethicis* tamen aliter *Ariſtoteles* alludit ad hanc hiſtoriam; quando reprehendens civitates, quæ nihil de publica educatione & diſciplina ſanxerunt, civibus ait neceſſitatem imponi exemplum Cyclopum imitandi, ut quiſque ſuo auſpicio (deſtitutus legum publica auctoritate) diſciplinam domus ſuæ regere cogatur. Sed neque ibi ulterius pertinet, quàm ad legum civilium comparationem, hoc modo, ut ex *Euſtratio* repetamus: ſicut Cyclopes non habebant leges, aut conſtitutam legibus civitatem, ſed diſperſis familiis agebant, in quibus arbitria patrisfamilias pro legibus erant, ſive quiſque domi ſuæ rex erat: ita ubi publicæ nullæ ſunt leges de educatione & diſciplina, aut culpa imperantium negliguntur, tum convenit, ut quiſque ſuos curet regatque ſuo arbitrio. Id enim eſt hoc loco *κυκλωπικῶς*, *more Cyclopum.* Promiſcuum reſiſtendi jus in verbis illis Homericis non ineſt, niſi à conſequenti, ex tota narratione conficias; ubi nulla civitas, ſed ſegreges familiæ ſunt, neque commune jus & forum; ibi quiſque ſibi jus dicit, & promiſcue alter alteri, nullo ſcilicet inter patresfamilias diſcrimine inæqualitatis & ordinis, reſiſtit. Nempe quia ſunt *νομάδες vagi & ſparſi. Ubi ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενὸς, nemo in*

lib. 10. c. ult.

ulla re audit neminem, ut habet versus *Euripidis in Cyclope* 120.

De cetero, quæ ad historiam *Aboriginum* & *Getulorum* pertinentia hic adferuntur, aut si quæ hujus generis vel ex antiquitate, vel recentiore ævo petita memorantur, non debent persunctorie & sine examine transmitti. Quædam enim cum comparatione exaudienda sunt, ut non excludant omnem societatem civilem, sed talem civitatem describant, quæ melius constitutis comparata, dissociabilis videatur. Quædam regio imperio opponuntur, neque omnem prorsus ordinem socialem & civilem, sed eum, quo uni paretur, negant. Vix reperiantur exempla ἀναρχίας omnimodæ etiam ad tempus non longum. Quamquam oratorie ita describuntur, quæ civilem ordinem vitiant corrumpuntque. Nam in perturbatione reipublicæ, & civilibus dissidiis, res non geritur sine omni ordine (statim enim ruerent omnia, & dilaberentur) sed quod *Cicero* ait, ne latrones quidem sine aliqua justitiæ particula vivere posse, id hic quoque locum habeat. Sine aliqua particula ordinis socialis nulla multitudo servari potest vel in modicum. Igitur quo magis à ratione ordinis disceditur, eo magis augetur species & terror imminentis ruinæ, donec ad ordinem gradatim redeundo, metus ille deminuatur. Unum est exemplum, quod evenire potuisse, imo evenisse (neque forte longe petenda esset historia) negari nequit. Sint in aliqua regione plures

plures famosi latrones, qualem Cacum describunt veteres: neque fœdere aut societate connectantur; sed sibi quisque tendat. Habeat unusquisque arcem munitam, in quam se recipiat; & *familiam*, qua se tueatur. Hoc esset instar familiarum segregum apud Cyclopas. Sed nimirum hi essent pro rebellibus & seditiosis habendi: qui spreta auctoritate legum, quibus parere debebant, à corpore secesserunt (qui enim aliter fieri poterat?) & pacem publicam inquietare cœperunt. Id quod alteri latronum generi quoque competit, qui toto exercitu, aut certe magna manu satellitum faciunt, quod hi familiæ ope: qualem historiæ Appulejum proscriptum, Viriatum, Spartacum, Corocotam, Tacfarinatem, Claudium, Bulam, & Gordianus Imperator, Barsatoram, memorant. Sed hi instar quoddam civitatis constituunt, quantum ad imperium: licet nomen civitatis non mereatur cœtus, qui maleficii caussa coiit.

l. 13. C. de fidejuss.

In fine §. ostendit fontem & rationem politicam legislationis, qua ubique describuntur & coërcentur rei læsæ reipublicæ seu læsæ majestatis. *Hinc ubique*, inquit, *majestas, id est, dignitas sive populi, sive unius, qui summo fungitur imperio, tot legibus, tot pœnis defenditur: quæ constare non potest, si maneat resistendi licentia.* Majestatem *dignitatis* vocabulo explicat: scilicet compendio loquendi. Ipsa enim summa potestas violatur, seu imperium, seu respublica. Unde *crimina læsæ reipublicæ* dicuntur.

scili-

ſcilicet ſumma poteſtas, quæ tanti facienda erat, quæ ſacroſancta habenda erat. Prætexta eſt ſummæ poteſtatis ſumma dignitas. Repetit Grotius, & ſenſum ἐκ παραλλήλου verbis aliis effert §. VII: *nam cum ſummum imperium non poſſit non multorum odiis patere, ſecuritas fungentis peculiariter fuit munienda.* Eſt, ubi *læſæ venerationis* crimina, ab aliis, *læſæ reipublicæ & poteſtatis criminibus* diſtingui poſſe videntur: neceſſitudine tamen utriuſque ſe nunquam non ultro ingerente.

§. III. Celebris, & proprius hujus argumenti eſt locus 1. Sam. 8, à verſ. 11, uſque ad 19. de quo duæ potiſſimum obtinuerunt ſententiæ. Alii enim putabant, non de *jure*, ſed de *facto Regis* hic agi. Quam ſententiam etiam amplexus eſt & ornavit auctor *L. Junii Bruti ſive Vindiciarum contra tyrannos*, & *Wilhelmus Schickardus in Jure regio Hebræorum*. Alii autem crediderunt, *de vero jure Regum* hic agi: cum, quæ enumerantur, ex illis ſint, quibus Rex citra abuſum & propoſitum tyrannidis potuit uti; ipſeque Propheta deſcripſerit hoc jus & in arca fœderali repoſuerit 1. Sam. 10, 25. Expenſis rationibus, quæ in utramque partem magno ſtudio afferuntur explicanturque, non dubito veram eſſe ſententiam poſteriorem. Grotius autem hoc loco *novam ſententiam* affert. Quæ quidem ad id, quo tendit, ſatis valere poteſt, hiſtoriæ vero totius momenta haud ſatis meminiſſe videtur. Viderunt & noſtra tempora diſputationes de hoc loco,

loco, partim impias, partim incautas & immoderatas. Impius est in eo genere *Miltonius:* parum cautus *Salmasius.* Cujus præcipue eo tendit oratio, ut de *jure licentiæ seu impunitatis* exaudiendum Samuelem ostendat. Et tamen ex jure licentiæ, id est, improprie dicto, iterum jus legitimum conficere satagens, quàm à communi civiliter scribentium consuetudine audax ubique & præceps dictio abhorreat, non animadvertit. Ceterum ad jus regium, & locum Samuelis addi debent *psalm.* 51, 6. quo Grotius usus est *cap. præced.* §. 20. *proverb.* 16, *vers.* 14. & 15; cum quo *Philippus Melanchthon* confert *proverb.* 19, 12. & 20, 2. *Eccles.* 8, 2. & *seq.* ubi τὸ ἀνυπεύθυνον, & *jus vitæ ac necis:* quibus sæpe solet πᾶν τὸ κράτος ἐξουσίας ἀρχικῆς significari. *Dan.* 2, *v.* 36. 37.

Defens. reg. cap. 2.

§. IV. Loca Novi Fœderis, multam magnamque habent collectionem, & idoneos nacta sunt interpretes.

Sententia illa, etiam proverbio celebrata, de necessitate imperii, qua per modum ὑποθέσεως, ostenditur, quid futurum esset remoto ordine imperandi & parendi, à multis enunciata est. Colotes apud *Plutarchum* explanate: ὅτι τὸν βίον, οἱ νόμους διατάξαντες καὶ νόμιμα, καὶ τὸ βασιλεύεσθαι τὰς πόλεις καὶ ἄρχεσθαι καταστήσαντες, εἰς πολλὴν ἀσφάλειαν καὶ ἡσυχίαν ἔθεντο, καὶ θορύβων ἀπήλλαξαν. εἰ δέ τις ταῦτα ἀναιρήσει, θηρίων βίον βιωσόμεθα. καὶ ὁ προστυχὼν τὸν ἐντυγχάνοντα μονονοὺ κατέδεται. *Qui leges tulerunt & jura, regendique & parendi ordine civitates constituerunt, illi vitam in tu-*

libr. 1. adu. Colot. pag. 1124. edit. Wech.

in tuto ac tranquillo locarunt, & perturbationibus liberarunt. Hac vero si quis tollat, ferarum vitam viveremus, & quisque obvium quemque tantum non devoraret. Et *Plutarchus* quidem ista arguit; & vicissim arguitur à *Gassendo.* Quamquam facilis est conciliatio, si quis dicat: Colotem ad ingenium vulgi, id est, plurium respexisse; Plutarchum de rectis erectisque naturis loqui, sive potius Colotem rectâ defendere fas est, hoc sensu: nisi civitates essent, depravatio consuetudinum ingenia plerorumque ita corrumperet, ut rectæ rationis imperium in illis vel obscuraretur vel extingueretur. In civitatibus enim disciplina traditur, & exercetur, qua obsequendum rationi & naturæ amplius constat. In primis oratorie diffudit hunc sensum *Theodoretus oratione VII. de Prudentia.* Cum dixisset à Deo magistratus constitui, qui cœtus humanos regerent, addit: Τίς γὰρ ἂν ἤνεγκε τῶν ἀδίκων τὰς χεῖρας, εἰ μὴ τῆς πλεονεκτικῆς αὐτῶν φλογὸς τὴν ἐπὶ τὸ πρόσω φορὰν ἐπεῖχε τῶν νόμων τὸ δέος; δίκην γὰρ ἰχθύων κατέφαγον ἂν οἱ μείζους τοὺς ἐλάττους, εἰ μὴ τὸ ξίφος ὁ νόμος τεθηγμένον ἐδείκνυε, καὶ τὴν πυρὰν ἀπτομένην, καὶ τὰ ἄλλα πρὸς τιμωρίαν τῶν κακουργίᾳ συζώντων ἐπενοήθη τοῖς ἄρχουσιν. εἰ γὰρ καὶ τῶν νόμων ἀπειλούντων, καὶ τῶν ἀρχόντων κολαζόντων εἰσί τινες, οἳ θηρίου παντὸς ἀγριώτεροι περὶ τοὺς πέλας διάκεινται, καὶ ἄττουσιν ὡς σκορπίοι, καὶ δάκνουσιν ὡς ὄφεις, καὶ λυττῶσιν ὡς κύνες, καὶ βρύχονται κατὰ τῶν ὁμοφύλων, ὥσπερ κατὰ τῶν ἀλλογενῶν οἱ λέοντες, τί οὐκ ἂν ἔδρασαν νόμων οὐκ ὄντων, καὶ ἀρχόντων μὴ κολαζόντων; *Quis enim homi-*

In Phil. Epicur. mor.

tom. 4. pag. 396.

nes injurios ferret, nisi erumpentem cupiditatis eorum flammam legum metus reprimeret? more piscium enim, qui majores sunt, devorarent minores, nisi lex strictum gladium, ardentem rogum, & si qua alia coercendis sceleribus, qui rempublicam gerunt, excogitarunt, ostentaret. Quod si enim, etiam ubi leges minantur, ubi magistratus puniunt, tamen quidam omni bestia saviorem in proximos animum gerunt, & more scorpionum irruunt, more serpentum mordent, canum more rabiem exercent, denique adversus consortes ejusdem generis rugiunt ut leones in diversi generis animalia; quid illi non facerent, si leges non essent aut magistratus non punirent?

Locus Dionis Cassii sumtus est ex oratione Cæsaris ad seditiosos milites, Placentiæ *lib.* 41. *pag.* 168. & 169. *edit. Wechel.* cui comparabis geminam *Taciti* philosophiam *in oratione Othonis* 1. *Hist.* 83.

Interjicitur responsio ad ea, quæ de injuriis imperantium & facinoribus malorum Principum objici poterant.

An & hoc adjiciam, quod Grotius, *approbasse Deum*, inquiens, *illum ordinem imperandi & parendi*, minus quàm quod res postulabat, dixerit. Non approbavit tantum Deus, sed instituit præcepitque illum ordinem, quo supra explicatum est modo. Approbatio, ut quasi præcedente facto hominum concipitur, ad formas accidentales pertinet.

§. VI. Moderato judicio utitur Grotius, de viris illis eruditis, sententiæ & falsæ & periculo-

culosæ propugnatoribus, *quasi sibi prius quàm aliis id quod tuendum susceperant, persuasissent.* Valde autem vereor, ne de uno alteroque verissimum sit, quod in alia re in præloquio de *Fero* & *Erasmo* dictum est, ubi mitissime judicandum est. Singularis prudentiæ quasi invento sibi placuerunt in hac re, si regni licentiæ quasi obviam irent. Quosdam disciplina sua, quæ circa religionis nomina pro ratione est, huc vocavit. Nomina quorundam recensentur in *Annotatis.* In iis liber ille, cui *Brutus* eruditum magis quàm auspicatum nomen est. Classicum ille canit adversus Reges, & privata auctoritate ex regibus tyrannos facit, cavillatione non philosophiæ modo sanioris sed Scripturæ sacræ. Juvat prætextum doctrinæ, & spuriæ species gravitatis. Multum nocuit præ ceteris ille liber. Cujus auctorem *Grotius* in *Apologetico adversus Rivetum* facit *Mornaum.* At Lausannæ ostendit vir doctus amico schedas manu Huberti Langueti, quasi à generante scriptas. Utinam in his non tam pertinaciter nominari voluisset *Hotomannus*; mali utique exempli auctor in *Francogallia* sua: ubi εἰς τὸ δουλεύειν τῇ ὑποθέσει etiam historiam non semel corrumpit. *Claudii Seysselli Gallia* eodem pertinet. Horum virorum auctoritas, etiam viris cetera innoxiis & moderatis, illicio amicitiæ primo imposuit, ac horum operâ deinceps aliis. Nam de furore & licentia, ultricibus flammis digna, quæ inter factiones & dissidia grassari instituit, nolo

dicere. Exempla apud *Thuanum* multa. vide præsertim *lib.* 95. *p.* 424. & 425.

Ceterum *sententia* illa proponitur primum à Grotio, deinde refutatur 1. *à natura subordinationis* s. ὑπαλληλισμοῦ quantum ad magistratus, ipsa natura magistra, & communi sensu demonstrante. 2. *Auctoritate sacrarum literarum* & locis Petrino & Paulino; exemplisque Veteris Testamenti. 3. *Sublatis quæ obstare videbantur*, inter quæ etiam vox Trajani. Cujus consilium & prætextum, qui non intelligit, nihil in historia Cæsarum, plena hujusmodi imaginibus, capit. Qua de re sæpe agitur.

§. VII. Constituta & munita jam thesi, progreditur ad *casus exceptos s. excipiendos.* qui duorum sunt generum. *Vel* enim specie tenus videntur contra thesin positam tendere, revera autem non impugnant eam, quales casus proponuntur à §. VIII. *usque ad finem capitis : vel* revera tendunt adversus constitutam thesin, adeoque ad exceptionem pertinent proprie sic dictam. Talis est *casus summi discriminis* sive *diræ necessitatis.* de quo h. §. ita agitur, ut 1. *fundamentum exceptionis tacitæ* inquiratur. *quædam enim tacitis*
2. de inv. *exceptionibus caventur*, ut est apud *Ciceronem.*
47. 2. *Determinetur casus* ad *exemplum*, *à Barclaio propositum*, tum ad *exemplum Davidis*, & ad *exemplum Maccabæorum.* 3. *Determinetur* amplius casus ad *injuriam superiorum inferioribus religionis caussa illatam*, sub exemplo & praxi temporum N. Testamenti & Christianorum.

In son-

In fonte exceptionis requirendo, non re-
pudiari quidem debent, quæ *de legibus cum re-
ſpectu imbecillitatis humanæ latis*, & *hic* adfe- 2. 2, 6.
runtur, & *infra* repetuntur. Neque etiam illud
reprehendendum eſt, quod *de mente legislato-
ris* conjecturam ſuggerit, & *hîc* & *ſupra*. Sed 1. 3. 5.
occurrunt quædam partim *obſcure dicta*, par-
tim *plane non admittenda*. In *obſcure dictis* illa
ſunt: *Hi vero ſi interrogarentur, an velint omni-
bus hoc onus imponere* &c. Hic enim ſi Grotius
hoc vellet, an ab initio ea mens fuerit in civi-
tatem coëuntium, eamque ordine imperandi
ac parendi, ac definita ſumma poteſtate conſti-
tuentium, ut ne tum quidem reſiſtendi licen-
tiam reſervatam exceptamque cuperent, ſi
ſumma poteſtate præditus, *omnes cives adeoq;
totam civitatem* vellet perdere: tum dubitan-
dum non eſt, quin hic exceptio locum habe-
ret, non tam ex ratione, quam paulo poſt Bar-
clajus ponit h. §. quàm ex illa, quæ infra §. XI.
ab eodem affertur. Si autem Grotius loqui-
tur *de ſingulis*, aut *parte aliqua civitatis*, tum ſa-
tis intelligitur, coëuntium in civitatem ab
initio hanc fuiſſe mentem, ut adverſus ſum-
mam poteſtatem ſibi nihil juris relinquerent.
Ut enim in hoc ordine imperandi & parendi
inſtituendo, in aliqua perſona aut cœtu con-
ſiſterent, quorum ſecus facta ſuperiorem ju-
dicem ac vindicem, præter Deum, non habe- v, 1, 3, 8.
rent; ipſe finis ſocietatis poſtulabat: ad quem
ſcilicet perveniri non poterat, abſque pote-
ſtate ſumma neminiſque judicio obnoxia.

 Porro

Porro quod mox ait, *homines non Dei præcepto, sed sponte experimento infirmitatis in civilem societatem coivisse*, dilutius est, neque exhaurit rem, aut satisfacit illi naturali societatis appetentiæ: recteque *Feldenus* negat, *fundamentum civilis consociationis ex infirmitate & indigentia* (quæ assumitur quidem nonnunquam, non tamen ut sola aut præcipua caussa) *peti posse*. Societas enim civilis non est meri placiti, sed à natura venit. De quo non dubitarunt ex Philosophis plurimi, eorum autem nemo dubitare debebat, qui & primordia rerum, & accuratiorem juris naturalis intelligentiam sacris literis debent. Dictum est supra. Valeant ergo hic potius, quæ *Grotius* II, 1. 9. disserit, & ad civilem societatem accommodentur, quæ ipse de amicitia habet. Idem sentiendum erit de explicatione *loci Petrini*, quam Grotius subjicit, & *ordinatione humana*. Animosius enim cordatiusque ista Theologi explicant. De hypothesi perfectioris in N. T. requisitæ patientiæ, in medio §. nihil addam. Perpetuum hoc sibi sumit Grotius, quod nec demonstratū abunde est, & ubi ad φερέπονοσυγκειπκῶν pertinet, examine accurato exemplorum & locorum utriusque generis opus est. Testimonia Christianorum Doctorum prorsus illustria sunt: & pietas Thebææ legionis ex monumentis vulgo parum obviis erudite producitur.

Qui hæc Grotiana legit cum aliquo sensu publice gestorum, haud dubie recordabitur

dispu-

disputationum non minus tristium & periculosarum, quàm ineruditarum & temere ruentium: quas nominatim nemo libenter exprimat. Magna reipublicæ & civilis philosophiæ imperitia ultro se prodidit; arripiendo & inculcando aliena quædam & cruda, relictis propriis & ex re natis argumentis, in illa quæstione, εἰ ἔξεστιν ἀντιπολεμεῖν. Quid enim conficiant illa: *Principem, qui vim suis intentat, desinere esse Principem*; *Principem esse dominum feudi, qui si officii immemor sit, vasallo jus resistendi nasci*; *Principi malæ caussæ ministro, præsertim adversus Deum & religionem tendenti, vim opponi posse*; *Tyrannum esse, qui præter mores & leges rempublicam administret*; *Tyrannum non arceri modo, sed tolli posse*: *Magistratus inferiores* (de quo Grotius) *jus resistendi Principi, quasi reservatum, obtinere*; & similitudines in speciem adornatæ; *de lupo à gregibus per vim arcendo, de patre vel furioso, repellendo, vel scelesto, vindicando*: *de pastore gregibus infesto coërcendo*, & similia? Longe aliis & firmioribus opus est demonstrationibus, si & conscientia in tuto locari, & in re omnium maxima nihil temere moveri debeat. Jam, quæ *de sui suorumque defensione, de inculpata tutela* feruntur, omnem vim suam perdunt, ubi generaliter dicta, ad hypothesin, nec explicatam satis nec intellectam, tamen pro auctoritate & quasi pro imperio adhibentur. Non multum profecerunt in studiis reipublicæ unice necessariis & utilibus, qui non vident

in his exemplis, quantum desit ad salutis publicæ rationes probe tutandas, ubi interior illa philosophia, tam ignorata plerisque, qui soli pro republica sapere sibi videntur, quàm contemta, facem non præfert. Quin enim æstus animorum explicari, perplexa negotiorum distingui; quid facto opus, extra dubium collocari possit, potueritve in ejusmodi casibus, negari nequit, si quis artibus, quas dixi, animum serio induisset, & solida à fluxis discernere didicisset. In qua disciplina, quia Grotius apprime eruditus est, male audit apud eos, qui capere non possunt, quicquid à vulgaribus & perfunctoriis literis discrepat.

§. IX. Recte hic *negligentia* distinguitur à derelictione. Potest tamen accidere, ut neglectus imperii, caussam destituendi Principis suggerat 1. si in clausula commissoria, cum imperium deferretur, id dictum est. 2. si ad alia crimina iis in regnis, quibus Rex committere regnum potest, accedat *negligentiæ* crimen. Atque in omni hac disputatione necesse est intelligi negligentiam enormem, qualem in Vitellio describunt Historici. Inter titulos abrogati Wenceslao Caroli IV. filio imperii etiam *negligentia* ponitur, & notabiliter ita describitur, quod sæpius monitus ab Electoribus & Principibus, nihil curæ pro republica & operæ sibi suscipiendum duxerit. Sed id exemplum non potest ad quodvis regnum trahi: &, ut ego arbitror, ne ad Germani-

manicos quidem priores Cæſares. Quanta enim illis temporibus mutatio circa ſtatum reipublicæ acciderit, hiſtoriarum peritis notum eſt. Igitur in ardua & periculoſa quæſtione non debebant tam ſecure exempla deſtitutorum Cæſarum afferri: ut *Adolphi Naſſovii, Henrici IV.* & *Wenceslai* hujus. Sed Adolphus quidem inimicorum conſpiratione oppreſſus eſt; non omnibus, quorum intererat non niſi publico conſenſu id fieri, aſſentientibus: incertumque fuit, ſi Adolphus prælio non occubuiſſet, quæ pars ſuperior eſſet futura, Adolphi an Alberti. confer *Hiſtoriæ Auſtralis* partem pleniorem cum *Annalibus Steronis:* qui etiam (anno 1297.) de primis conatibus Adolphum deſtituere volentium annotat; *ob hoc eorundem Principum, qui ſe dicebant alium Regem velle eligere, machinatio in ridiculum eſt converſa.* Quid dicamus de illa ratione Bonifacii VIII. Pontificis ex *Chronico Belgico Magno*, qui contendit: *Albertum in legem majeſtatis deliquiſſe, interficiendo Dominum ſuum, ſcilicet Dominum Adolphum Romanorum Regem.* Idem *Albertus Argentinenſis* refert, qui & de electione Alberti ſatis frigide ſentiens, *Moguntiæ*, pag. 278. inquit, *à quibusdam Principibus quaſi congregatis, Regemque tanquam inutilem Reipublicæ & Imperii deſtructorem deſtituentibus in Romanorum Regem eſt electus. Henricus IV.* auctoritate & arbitrio Pontificis, id eſt, ejus, qui nec hujus rei jus habuit, nec obſequium Electoribus & Principibus ullo modo imperare potuit

tuit, dejectus est; haud dubie injuste, & per errorem de Pontificiis devotionibus tunc invalescentem. Quæ utique tam sunt manifesta, ut probatione non indigeant. *Wenceslai* destitutio, si facta esset, sicut memorat ex *Emundo* pag. 328. *Chronicon Belgicum Magnum*, idem judicium subiret. Ita enim ibi legas: *Wenceslaus propter mala merita & alia maleficia regno Romanorum privatus, & ab eodem destitutus fuit à Bonifacio Papa Nono, data Electoribus Imperii potestate alium in Regem Romanorum eligendi, postea in Imperatorem promovendum.* Quod vero jus Pontificis vel Imperio exuendi Imperatorem, vel facultatem eligendi Electoribus dandi? prorsus nullum. Ergo talis destitutio hactenus nulla esset. Sed Electores Rhenani in Chron. Spir. VII. 72. litteris suis apud *Lehmannum* dicunt, se consilio aliorum Principum adhibito post multas admonitiones irritas, Wenceslaum Imperio indignum judicasse. Fateor interim, Wenceslaum talem fuisse, qui in quovis regno suis flagitiis & sceleribus potuerit patientiam excutere civium ac ordinum animis, & solio excidere. Sed facta, quibus ignoscendum esse, magna ratio dictat, jus nec constituunt, nec probant. Qui enim accuratissime velit quæstionem juris excutere, desiderabit legem in Republica mixta, qua definiatur, quid tali casu faciendum sit. Quod si, deficiente tali lege, ex usu & consuetudine Reipublicæ aliquid consilii eliciendum est, cautissimus quisque maxime sapere videbitur. Putat equidem

Tholo-

Tholosanus, melius fuiſſe facturos Electores, ſi Wenceslao *coadjutorem* potius dediſſent, quàm imperium abrogaſſent. Propius ad rationem conſtitutæ reipublicæ diceremus: melius eſſe in tali caſu, Regem Romanorum eligere, & vivo Cæſari (ſicut alias fere morbi aut abſentiæ cauſſa fit) adjungere. Sed hæc, ſive ex occaſione, ſive per exceſſum dicere licuerit. *Fernandus Vaſquius* ſatis animoſe & incaute arripit illam ſententiam, *quod civibus liceat ex cauſſa ignaviæ Principis ſui alteri Principi priore relicto ſe committere.* C. I. 1. 5. 10.

§. X. Ut hæc recte intelligantur, repetenda ſunt, quæ cap. præced. §. 10. 11. 12. dicta ſunt. ubi Grotius etiam diſtinxit regna, quæ habentur alienabiliter, quæ non. Qua diſtinctione neglecta *Vaſquius* parum explanate in hac materia eſt verſatus. *Barclajus*, cujus hic mentio fit, *libro III. cap. 16. adverſus monarchomachos*, duos tantum caſus agnoſcit, *quibus Rex ipſo facto, ex rege non-regem ſe faciat, & omni honore ac dignitate regali, atq; in ſubditos poteſtate deſtituat.* Unus caſus eſt, quem *Grotius h. cap. §. ſeq.* proponit, *de hoſtili in rempublicam animo*, qualem *Barclajus* in *Nerone* & *Caligula* proponit. *Alter*, de quo *h.* §. ita deſcribitur ap. *Barclajum: Si Rex in alicujus clientelam ſe contulerit, ac regnum, quod liberum à majoribus & populo traditum accepit, alienæ ditioni mancipaverit: nam tunc, quamvis forte non ea mente id egit, populo plane ut incommodet, tamen quia, quod præcipuum eſt, regiæ dignitatis amiſit, ut ſummus ſcilicet* C. I. 1. 5.

cet in regno secundum Deum sit, & solo Deo inferior, atq; populum etiam totum ignorantem vel invitum, cujus libertatem sartam & tectam ab exterarum nationum servitute conservare debuit, in alterius gentis ditionem & potestatem dedidit, hac velut quadam regni abalienatione effecit, ut nec, quod ipse in regno imperium habuit, retineat, nec in eum, cui collatum voluit, jure quicquam transferat, atque ita Rex eo facto liberum jam & sua potestatis populum relinquat. Describenda fuerunt verba longiuscula, quia potest videri *Barclajus* duplicem casum proponere, quamquam unum vocet: scilicet de *regno in clientelam aut feudum alteri dato*, & de *regno in alium, vera alienatione translato.* Atque ita videtur Grotius accepisse, imo revera sic accepit. Quamquam omnino possis existimare, Barclajum tantum de priore genere loqui, nempe, si Rex de regno nemini ullis vinculis obnoxio, velit regnum feudale facere, ac beneficiarium, aut in alterius clientelam sive protectionem dare; sub aliquo nexu scilicet, qui feudali respondet. Quamvis enim validiore dictione subjungat, *si regnum aliena ditioni mancipaverit*; postea tamen emendat & restringit illis verbis: *hac velut quadam regni abalienatione*: ut ostendat, se non de plena alienatione loqui, sed de obligatione qualicunque, quæ cum priore omnimoda libertate seu omni nexu libera regni conditione parum conveniat. Qui status, rei augendæ caussa, servituti comparatur. Atque ea mens Barclaii etiam

etiam ſubjecto exemplo Scotico declaratur. Hunc autem caſum, puto talem viſum eſſe Grotio, qui nec appellari, nec vindicari tam graviter meretur. *Feudalem* enim *nexum*, ut & *protectionis ſeu clientelæ jus*, non valere ad imminuendam ſummam poteſtatem, capite præcedente docuerat. Et poſſe aliquando fieri, ut Rex aliquis licite hoc faciat, ſalutis publicæ redimendæ cauſſa, vix eſt dubitabile. Maluit ergo de *vera & plena alienatione* loqui Grotius. Atque tum partite ac ſingillatim incedendum eſt. Diſtinguit Grotius *alienationem regni à traditione*; & *tradituro reſiſti poſſe* concedit. In alienatione, videtur tantum jure ſuo cedere; traditio autem efficeret, ut obtineret alter, quicquid hac ceſſione, ſe conſecuturum ſperavit. Qui ergo jus habet tantum uſufructuarium in regnum, is alienare regnum nequit, ſive alienando nihil agit. Quinimo etiamſi tantum juris non amplius in alium transferre vellet, quantum ipſe habuit, id eſt, uſum juris, non poſſet citra conſenſum proprietarii id facere, aut faciendo nihil ageret. Sed, ut Princeps aliquis, uſufructuarius habeatur, non efficit electio aut ſucceſſio, ut ſupra dictum eſt: verum diſerta formula, qua Principatus defertur. Comparationis cauſſa aſſumitur iſtud loquendi genus: nec in applicatione ad ſingularia exempla, per omnia expeditum eſt. Reperias enim caſus, ubi illi, quem uſufructuarium voces, plus quàm uſufructuario concedendum videbitur. Dicunt equidem: non

præ-

præsumitur in dubio, civitate Principi plus juris in se concessisse, quàm usufructuarius habet. Sed præsumendi occasione prætextuque animosius utitur *Fernand. Vasquius*, ne tantum quidem pro Principe præsumens, quantum pro usufructuario fas est. Accedit, quod, ubi civitas summam potestatem sive omnia jura majestatis Principi dedit (hæc enim quo minus habeat Princeps usufructuario comparatus, nil impedit Grotius) ipsa finis obtinendi necessitas aliquando plus concessum ostendit, quàm usufructuario competit: ut in parte civitatis alienanda. Qua de re infra. Ac in regnis quidem, quæ per electionem hodie deferuntur, longe minus dubitationis relinquitur, quàm in antiquissimis. Ubi enim hodie electionis mos viget, electo conceptis & disertis verbis, ut alia præscribuntur, ita facultas per se alienandi adimitur. Quod priscis temporibus non peræque factum est. In succedendi consuetudine, si antiqua est, vix ullas conditiones regnantibus descriptas exhiberi videas. Hinc, si partium alienatio à prioribus facta comperitur, pro præsentibus etiam præsumitur eadem alienandi facultas, tanquam ex prima voluntate civitatis imperium deferentis. Ubi auctoritatum tituli desunt, nondum tamen deest præsumendi ratio de voluntate populi sive civitatis, quod familiæ, cui se suaque commisit, etiam potestatem expediendi salutem totius jacturâ partis, ad obtinendum scilicet finem unice necessariam

con-

concesserit. Ubi nec de consensu novo populi quærendo semper præsumi potest: eo quod in ipsa delatione imperii jam consenserit, & finem volendo, ea voluisse intelligatur, sine quibus finis obtineri nequit. Nisi quod totum regnum alienari sine consensu civium satis expresso nequit: quia in successionibus voluntas populi seu civitatis in constituendo imperio certa & indubitata hæc est, qua se Familiæ permittit, non aliis extra Familiam. quare illa extincta, suæ spontis est civitas, ad constituendum, qua forma placet, imperium; naturali scilicet facultate sibi consulendi, quæ ultra Familiæ fines translata non erat, ad suum principium reversa. Facti non juris est, si quid aliter fit. Quinimo, si quo eventu Rex regnum successorium consentiente populo alienaret, hic actus accurate loquendo non esset actus Regis successione regnum adepti; sed regium jus Familiæ delatum, populo resignantis. Certe præcedere talis actus ex natura rei intelligitur, antequam ad alienationem possit progressio fieri. Atque adeo auctoritas ejus aliqua posset apud populum esse ad persuadendum; potestas nulla ad imperandum. Atque hæc locum habent, si solus ex Familia supersit; neque alii præsto sint, quibus spes successionis incumbat. Eadem enim illa ratio, qua in successoriis regnis Familia spectatur, evidenter eo valet, ut consensus eorum, ad quos spes successionis pertinet, necessarius sit ad alienationem: ita ut nec

popu-

populi consensus, deficiente horum consensu, sufficiat. Populus enim in hoc genere regnorum, non uni, sed familiæ tradidit imperium; ea mente, ut jus illud ratione quidem singulorum temporarium esse necesse sit, ratione autem familiæ perpetuum habeatur. Ex destinato scilicet consilio: nisi fortuna, interitu familiæ huic perpetuitati intercedat. Nihil ergo diceret pro alienante, qui diceret: cum unusquisque sit juris sui retinendi & dimittendi dominus, quid obstat, quo minus rex possit jure suo in regnum cedere, idque in alium transferre? Multa obstant. 1. Dimittere quidem jus suum quilibet potest, sed non in alterum transferre extra familiam: nisi illud jus hac expressa lege acceperit, ut possit in quemcunque transferre. Hæc enim ubi abest conditio, tum resignatur illud jus in eorum manus, unde acceptum est: ibi est potestas transferendi, non apud resignantem. 2. Potest suo jure cedere rex. Sed in regno successorio non debet soli sibi vendicare jus, quod totius Familiæ est: neque adeo universe *suum* dicere potest. Quantum ejus juris habet, potest illo cedere, non illud cedere cui vult: non autem, quantum ejus juris alii, e. g. agnati habent, eo quoque potest cedere, multo minus id cedere alteri. Juris enim hujus in regnis successoriis subjectum adæquatum est Familia, non hic aut ille Princeps. 3. Potest intercedere jus publicum, non uno modo. Ut, si regnum feudale sit, aut

aut provincia feudalis, etiamsi alia non obstarent, certe absque voluntate domini feudi, nulla fieri alienatio potest. Potest & legibus caveri, ne fœminis in contrahendo vendendoque idem juris sit, quod maribus. Memorabilis est controversia adversus Ottocarum Bohemiæ regem tempore Rudolphi I. Imp. cui legati Cæsaris apud *Gerardum de Roo*, *neque Austriam à fœminis ad alienos transferri*, *neque ceteras provincias absque Imperii assensu* *vendi jus fuisse*, multis rationibus demonstrabant. Hist. Austr. lib. I, p. 23.

§. XI. Hic est alter ille casus à *Barclajo* propositus, nec à Grotio rejectus. Vidit autem vir tranquillitatis publicæ amantissimus, multos abuti vocabulis in hac quæstione, & figuris: facileque ut de tyranno, ita de hoste reipublicæ pronuntiare. Ut ergo illam licentiam interpretandi facta regum restringeret, addit unam cautionem: *sed vix videtur id accidere posse in rege mentis compote.* Et alteram: *si pluribus populis imperet, posse fieri, ut in unum hostilem animum gerat, eumque velit perdere, ut colonias ibi faciat.* Quod si fiat, distinguendum erit, utrum ex caussa pœnali, an ex odio tyrannico fiat.

§. XII. Huc repete cap. præced. §. XVI. & XXIII. & adde h. c. mox §. XIV.

§. XIII. Notabis hoc in mixtis rebuspublicis, & referes ad ea, quæ §. VIII. disputata sunt. Hoc enim est illud argumentum mera & evidenti veritate nixum, quod prætervi-

 derunt,

derunt, quibus alia omnia conquirere, in varietate temporum & necessitate casuum, consilium & ars fuit.

§. XIV. Occasione ejus, quod hic dicitur, aliqui fabulari instituunt de *libertate tacita:* quam, ut schema seditiosæ & popularis doctrinæ adornari video. Longe autem melius cautiusque Grotius, aliquid libertatis tum retentum tradit, si *dictum est in delatione imperii* aliquid, quod alium sensum habere nequit, sive ex quo non potest non sequi libertatis quædam reservatio. In re enim tanti momenti, arbitrariæ exceptiones, & remotius educta argumenta locum nancisci nequeunt. An vero omnino nulli tacitæ exceptioni venia dari possit, pendet à philosophia de *tacitis exceptionibus*; infra ad *cap.* 16. *lib.* 2. consignanda.

Hic potius aliquid de Tyrannis & tyrannide adjiciendum est. Pleraque enim ex hactenus dictis pertinent ad *Tyrannum*, quem *exercitio talem* vulgo dicunt: sicut sequentia, *tyrannum titulo*, spectant. Hic est *usurpator alienæ potestatis:* ille, *vexator & oppressor reipublicæ.* Interdum utroque nomine censendus venit, e. g. Nabis aliquis. Ac de usurpatore ac invasore faciliorem philosophiam Grotius in sequentibus feliciter expediet. In altero genere, non uno modo peccari video. Referri tamen omnia possunt ad illa duo capita: cum quæritur 1. *Quis sit tyrannus.* 2. *Quid in tyrannum liceat τοῖς τυραννουμένοις, eo quod tyrannus est.*

eſt. Primum caput, ſive *Notitia tyranni*, implicatur varietate *definitionum:* qua nonnulli adducti credunt, *non ſatis definitum eſſe conſenſu gentium*, quibus rebus amittat aliquis nomen Principis, & induat nomen tyranni. Sed hi ſtatim conjungunt, tanquam παράλληλόν τι καὶ ἀντίςροφον, commiſſionem regni, ſive jus tyranni deſtruendi, eo ipſo quod tyrannus ſit. Quod faciendum minime erat, ut poſtea apparebit. Deficere hic plane philoſophiam civilem, ut tyrannum definire nequeat, quis philoſophus credat? ſi enim definiri regnum, ſeu monarchia quæ tyrannidi ex adverſo opponitur, poteſt, cur definiri tyrannis nequeat? Et, ſi recte definitio fuerit tradita, non eſt, quod de approbatione gentium dubitetur: ſequeſtrata ſcilicet, definitioni minime connexa aut inſita quæſtione, quid liceat in tyrannum, ſive quod omnis tyrannus vindictæ populi expoſitus ſit. Quis enim unquam, præter ſeditioſos quoſdam philoſophos, tyrannum ita deſcripſit, ut in ipſo nomine, in ipſa deſcriptione ineſſet jus deſtructionis & vindictæ? Ceterum in hac inveſtigatione veræ definitionis multos videas abuti *Philoſophi* auctoritate: dum vel deſcriptiones quaſdam Ariſtotelicas, pro perfectis definitionibus arripiunt; vel quædam κατά τι dicta, ut ἁπλῶς dicta (e.gr. quod Perſarum reges, quia patrii 8. Eth. 10.
imperii modum excedant, tyrannidem ex regno faciant; aliaque hujus generis) intelligunt; vel facta & opera, tanquam notas, ty-

rannidis incaute ad extruendam definitionem colligunt. Nam quod vulgo arripiunt illam particulam, ut tyrannidi definiendæ propriam, *si administrationem reipublicæ ad suam non ad civium utilitatem referat*; in eo fallunt & falluntur: sicut jam aliis demonstratum est. Propius ad rem ipsam tendit, itidem non plena quidem definitio, sed notabilis tamen descriptio, quando μοναρχίαν distin-
1. Rhet. 8. guens ait: ἡ μὲν κατὰ τάξιν τινὰ, βασιλεία, ἡ δὲ ἀόριστος, τυραννίς. *ea quidem monarchia, quæ ordinem quendam, & modum servat, regnum; quæ vero nec ordine nec modo finitur, tyrannis est.* Quæ *Græcus Scholiastes* erudite explicat: εἰ μὲν οὖν κατ' ἀξίαν ἄρχει τὶς καὶ κατὰ τάξιν πρέπουσαν, βασιλεία. εἰ δὲ ἀόριστος καὶ ἄτακτος, τυραννίς. *si quis ergo, ut convenit, & quo decet ordine imperat, regnum est: si vero sine fine, modo, ordine, rempublicam gerit, tyrannis habetur.* Unde apparet cur Græca Aristotelis ita Latine converterimus. *Tyrannus* enim id præcipue spectat, *ut libidinem animi per fas & nefas expleat*: sive ut, omni honestatis, virtutis, jurisque ratione insuper habita in tractanda republica, libidinem animi pro lege habeat; eoque ut ad hunc modum ἀνεμποδίστως imperare queat, omnia referat. Usitatissimum autem Aristoteli est, tyrannidis vocabulo afficere, quod ab optimo & laudatissimo μοναρχίας genere, secedit. Quæ qui velit arripere, & pro ratis sententiis venditare, summa imis misceri, omniaque distincte agentis philosophiæ decreta perverti necesse est

eſt. Agnoſcunt hoc nonnulli, in *dominatu herili* explicando: quem tyrannidi *συνώνυμον* facere verentur. Quo magis mirum eſt, quod definitionem, ut putant, tyrannidis, & illas ſententias, de civium utilitate, & imperantis utilitate, tanquam fine propoſito, quarum illa quidem certum regni, hæc certum tyrannidis argumentum ſit, vehementius amplexari, quaſi immemores ſui, videantur. De virtute Regum, de laudibus & dotibus regiis multa, olim & hodie dicuntur, quæ cum jure & poteſtate regum neutiquam ſunt confundenda. Comparandi cauſſa, quàm ponuntur multa, quæ ſeorſum ſpectata alio ſe habitu cenſeri vellent? Quid de oratoriis conſiliis artibusque dicam? *Plinius* Trajanum ad imaginem optimi Principatus deſcripſit: nec diverſo multum inſtituto, quamquam in hiſtorico opere, Cyrum *Xenophon*. Multa iſtiusmodi laudibus ornandis animoſe aſſumuntur: quaſi quicquid à talis excellentia exempli diſcreparet, malorum Principum ac tyrannorum tantum nomini conveniret. Hæc tamen, cauſſæ, tempori, certis conſiliis data, tanquam *κυρίας δόξας*, ne detracta quidem veſte & involucris remotis, in philoſophiam vertes? Aliis artibus, & apud eruditos tantum notis opus eſt, ut rhetorum ſchemata, in decreta ſapientiæ migrent. Jam quod attinet ad notas & flagitia tyrannidis, collectim quidem ea ſignavit *Ariſtoteles*; & ex eo deſcripſit 5. polit. 11.
Bartolus, de tyrannide: cui accepta fert imme-

præfat. lib. 3. mor & ignarus Aristotelicæ disciplinæ *Innocentius Gentilletus Anti-Machiavelli auctor*. Verum ex iis sunt quædam in se nec bona nec mala; sed perinde sunt, ut illius animus & consilium, qui iis utitur. Quo fit, ut eadem faciat tyrannus, ac bonus Princeps; ubi possis ex propositi diversitate dicere: duo cum faciunt idem, non est idem. Hujus igitur generis facta & nomina, si quis velit ad injuriam Principatus vertere, & tyrannidis hoc prætextu damnare, in quorum regimine ista usurpantur, omnia tyrannis replebuntur, extincto Regum ac Principum nomine. Nam, etiam secus publice facta non statim tyrannum facere, nec ex quibusdam actionibus sed ex toto regiminis instituto, proposito, forma judicandum esse; tum desidiæ, luxuriæ, aliaque crimina in privata ac interiore Principis vita, ad infamiam tyrannidis non esse idonea argumenta: aliis fatentibus & tradentibus, ne vulgo quidem ignoratur. Speciosissime sibi videntur in hoc loco tractando versari, qui ad leges & mores uniuscujusque civitatis provocant: quibus qui vim facit, indubitabilem esse tyrannum existimant. Quo in genere non pauca nec levia peccantur. Primo enim, si jure regio proprie sic dicto aliquis præsit civitati, & contra leges moresque civitatis fecerit, eumne tyranni nomine infamare audebis; cum jure regio contineatur, ipsis legibus moderari: κύριος τῶν νόμων, legum dominus est, quisquis verus rex

rex eſt. Quid? ſi juravit, ſe ſervaturum? Peccaſſe, ſi contra fecerit, certum eſt: tyrannum eſſe, nihil minus quàm certum eſt. Quid? ſi in clauſulam commiſſoriam juravit? Ante omnia (ne quis ea ſpeculetur, quæ nunquam fiunt) notandum eſt, non addi talem claúſulam iſtis principum promiſſis, quæ virtutem, juſtitiam, modeſtiam, continentiam, & ſimilia, pollicentur. Deinde, jam ſupra dictum eſt, clauſulæ commiſſoriæ in regno ſimplici & vero locum vix eſſe poſſe. In mixto igitur ſtatu, majori ſpecie quæri poteſt: an is, qui in partem ſummi imperii non ſuam involat, ſit pro tyranno habendus? In re tam tenera & periculoſa, rurſus non eſſe de plano pronuntiandum, crediderim. Si enim non facit illud aperta vi & immanitate, ſed adjuvantibus & occaſiones & conſilia ſubminiſtrantibus iis, aut eorum parte, quorum de jure imminuendo agitur; non poteſt merito vocari tyrannus. Idem dixerim, cum pellexit pleroſque ad patienda ea, quæ mixturam ſtatus quodam modo immutant. Quod ſi mera vi, contradicentibus & deprecantibus quorum intereſt ne quid in ſtatu mutetur, ſive (neque alios intelligo) quorum jus invaditur, aliquid tale audeat: tum ab invaſoris nomine (quem tyrannum titulo vocant) non video quomodo vindicari poſſit. Verum à ſeditioſis ſæpe jactari audias: mores & inſtituta legeſque regni violari: cum id demonſtrari nullo modo poteſt. Multum hos clamores iterarunt parri-

cidarum in Anglia patroni, ea ementientes & titulo legum morumque adornantes, quæ ab aliquot sæculis nullo in usu fuerunt; seu quorum contrarium obtinuit. Ubi accidere potest, ut tanti temporis consuetudo, potentissima interpres legis, in vulgus jactatæ, habenda sit. Contra primævas enim alicujus reipublicæ leges multa innovat tempus: cujus mora, si nulla interpellatio intercessit, aut consensus civitatis accessit, robur addit desuetudini, sive diversæ consuetudini. Sicut alibi ostenditur. Pertinet autem huc accuratior & solida cognitio *juris cujusque regni*; à principio, per intervalla, ad extremum: & discretio diligens *juris legumque, quibus status regni vere definitur atque continetur* (quas rectius, quàm vulgo describere solent, fundamentales vocarent) tum earum *legum*, *quæ civium mores vitamque formant*. Ingens enim discrimen, & diversa utriusque generis existimatio. Rarissimum eruditionis genus, neque ex obvio parabile. Quomodo tyranni nomine *Brutus* abutatur, & ante diximus, & conqueritur *Barclajus*. Tyrannis nova & omni jure ex finibus humani generis exterminanda est, cujus invidia perniciosi assentatores Pontifices Romanos instituerunt onerare, tanquam irrefragabili potestate præditos, definiendi quis sit tyrannus: &, quod pari violentia connexum voluerunt, solvendi cives sacramento, & religione obsequii; ac dejiciendi solio Principes. Cui horribili dogmati gravi-

Cont. Monarchom. lib. 4. c. 10.

graviter & constanter obviam ivit non uno tempore Gallia. At vero, etiamsi constaret tandem de tyranno, non statim consequens est, & quasi ipso nomine significatum, quod liceat tyrannum dejicere solio, aut è medio tollere. Sicut enim in definiendo seu declarando tyranno cautissime & tardissime incedendum est: ita in remediis adversus tyrannidem conquirendis nullus temeritati & festinationi locus est. In utroque genere hujus disputationis Grotium qui non laudat, is parum amare tranquillitatem rerumpublicar. cui tam provide consultum ivit, videatur. *Lipsius* attigerat hunc nodum, non solverat; sed vaga quædam adferendo incertum lectorem dimiserat. Quod non uni præterea ad eundem modum usu venit. Satis cavisse sibi videntur; qui dicunt: *privato non licere interficere tyrannum non-invasorem: injuriam patientibus licere, defendere se bello & unire, non tamen aggredi principem ac dominum suum: toti reipublicæ licere privare tyrannum regno.* Quæ summa est hujus disputationis apud *Joannem de Dicastillo.* Verum & defensio habet suas cautiones: & quando se exerat potestas reipublicæ in unum translata, non minimæ quæstionis est: & conditio adjecta (*si nolit ab injuriis desistere, sed in republica perniciem gubernare*) definita distinctaque explicatione opus habet. Generalia denique sunt, si cum Grotianis comparentur. Multum sapientiæ veteres in Fabula Herculis esse voluerunt.

v. Thuan. 28. pag. 50. Gramond. 1. & 15.

6. polit. 5.

De justit. & jur. lib. 2. tr. 1. disp. 10. dub. 2. & 16. §. 12.

Hercules, inquam, *Tyrannorum domitor*, pleraque hujus loci, difficiles explicatus habentia, extricare sui operis jurisque rationibus potest. Argumentum delectu elegans, tractatu nobile.

§. XV. Cum ad *invasorem*, sive tyrannum titulo, transit, bene format statum quæstionis ab initio hujus §. Posse enim ex *injusto Principatu* longa possessione *justum fieri*, infra demonstratur II, 4. 11. *Pacto quoque jus invasori posse acquiri*, ut desinat esse tyrannus, certum est ex natura eorum, quæ eligimus majoris mali metu. Qua in re *Brutus* quoque se inflectit, & cum, licere vel privato interficere invasorem, disputasset, addit: *Hac dum tyrannis, ut loquuntur, est in Fieri, id est, dum tyrannus molitur, machinatur, cuniculos agit. At certe, si semel ita rerum potiatur, ut populus victus se jurejurando ei devinciat, respublica oppressa suam in eum potestatem transferat, regnum in suarum legum mutationem rite consentiat: tum sane, quia titulum, quem antea nullum habebat, adeptus est, nec ex facto tantum sed jure possidere videtur, etsi populus* ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ *id jugum recepit; æquum tamen est, ut obtemperet, & Dei voluntati, qui regna de gente in gentem suo arbitrio transfert, placide acquiescat.*

Quæst. 5. vind. c. tyr.

In exemplis subjectis absolvit *Brutum & Cassium Cæsaris interfectores* (parum accommodate ille quidem ad hanc doctrinam, sed quia proposito suo serviendum duxit) incusat

Cinnam Augusti insidiatorem. Hæc dum refert ex Bruto *Barclajus*, non potest se continere, quin exclamet: *Benedictus Deus, qui veritatem ab invitis non raro exprimit.* lib. 4. c. 10. de Julio Cæsare haud dubie rectius judicarunt, qui cædem ejus *pessimum facinus* dixerunt. Invaserat ille quidem rempublic.: Sed S. P. Q. consensu firmatam sibi potestatem possederat: adeoque jure occidi non poterat. Quod enim inimici ejus, sibi nomen reipublicæ accommodabant, ad prætextum & speciem, non ad rei veritatem referendum est. Octavius quoque Cæsar, quin ab initio invasor fuerit, negari nequit. Sed subinde jus legitimi Principis nactus est, ut primum Senatus Populique consensu certatim decreto promulgatoque omnia jura majestatis adeptus est, describente *Dione*. lib. 53. Neque obstat huic juri, quod necessitate videntur adacti Romani, ut ista decernerent. Maluerunt scilicet hunc statum cum securitate, quàm libertatem cum periculo exitii. Quæ non est vis, sed ratio. Ut alibi uberius docetur. De *Invasore* igitur quæritur *primo: an acta ejus valere debeant?* quod bene expeditur h. §. Disputatum est in Imperio nostro: *an privilegia à Wenceslao, qui destitutus est, concessa valere deberent nec ne?* Multa dixit in hanc rem Amplissimus Vir *Limnæus priore & posteriore tomis Additionum ad Jus Publicum.* lib. 2 c 11. num. 33. *Chifletius* quoque & *Blondellus*, par nobile adversariorum ad pugnam compositum, *ille* in *Alsatia vindicata*, *hic in*

Præfa-

Præfatione Apologetica. Wenceslai chartas, post exauctorationem datas, vel propugnavit, vel oppugnavit. Neuter historiam & quæstionem facti ad liquidum perduxit. Absque qua nec expediri totum potest, quod dubitatur. Seponenda est res & reservanda in locum suum.

De *Invasore*, quæritur *secundo: quid in eum liceat, sola vi absque ulla pactione nitentem?* & respondetur §. XVI. *Idem, quod in publicos hostes.* Progrediuntur nonnulli plus ultra, & dicunt: ne fidem quidem datam tyranno, obstare quo minus pro hoste habeatur. Cum tyranno enim nullam populis fidem, nullam jurisjurandi religionem intercedere. Sed hæc sententia merito rejicitur *infra II*, 13. 15. De cetero considerandus est hic casus paulo diligentius. De eo sermo est, qui imperium arripuit, & possidet. Nisi ipsum arreptæ possessionis articulum intelligas & quasi momentaneam possessionem, concipiendus erit animo is status, qui firmatam quasi præsentius possessionem significet, & in quo ne occidi quidem possit, nisi ab eo, qui & ipse vitam suam patriæ devoverit. Hic autem, an non habeant locum, quæ mox §. XIX. caventur, dispiciendum fuerit. Exemplum jure meritoque interfecti invasoris, & casus Grotiani, est in supposititio Smerdi, qui vero nomine Oropastes Smerdim Cyri filium se ferens apud Persas regnabat. Huic non poterat fides dari, nulla cum hoc pactio esse potuit. Cum Smer-

Smerdi enim, quicquid actum est, egisse se credebant Persæ. Qui, dolo comperto, hominem impostorem merito è medio ac optimo jure sustulerunt. Igitur ne opus quidem est, procerum μαγοφόνων caussam in controversiam vocare. Apud *Herodotum*, & *Justinum*. lib. 3. lib. I.

De invasore quæritur *tertio*, §. XVII. *quid in eum liceat, ubi lex tyrannicidium permittit, aut præmiis afficit?* Facilis responsio: & exemplum Græcarum civitatum in promtu. Græcæ enim civitates libertati in primis studentes, severitate talium legum, quæ ἀκεῖλον φόνον tyrannorum permitterent, interfectoribus præmia decernerent (qualium crebra mentio apud *Declamatores*) ab audacia invadendæ reipublicæ deterrere turbidos volebant. Harum exemplo & auctoritate intemperantius abutitur subinde *Cicero*: nec enim quæ Græcis licebat facere auctoritate legis, alibi sine lege licet facere. Neque lex Valeria in Julio Cæsare locum habebat, ut supra dixi. Magna etiam quæstio est, an conducat omni civitati, tales leges admittere. Inquis: Etiam si non scribatur talis lex; à natura ipsa, ex ratione naturalis defensionis, videtur sanciri: ut hinc emergat, quod §. præcedente Grotius concessit. Nullum posse casum dari, ubi cuivis civi liceat vindicare rempublicam ab invasore, non dixerim. Et hic ratio summa, quæ pro patria facit, auctoritatem legis quodam modo subire videtur. Sed cum tanta sit in rebus humanis temporum varietas, habitusq; negotio-

rum

rum, & ratio salutis publicæ expediendæ aliter atque aliter se habeant, naturalia defensionis jura non possunt, vel indistincte, vel in infinitum laudari. Si enim summa potestas interrogaretur, an quemvis tyrannidem moliri cœptantem sive status mutationi operam dantem à quovis vellet interimi; non erit in expedito, indefinita præsertim, responsio. Variant ut temporis, ita actionum singularum, singula pæne momenta. *Plutarchus* cum
in Poplic. p. 103. & 110. Poplicolæ legem, in *Annotatis* quoque adscriptam refert, *primo* non fuisse eam pro cetera viri moderatione, fatetur; deinde non omisit conditionem; *tum demum interfectorem cædis absolutum iri, si scelus interfecti idoneis argumentis probasset.* κτείναντα δὲ φόνου καθαρὸν, εἰ παράσχοιτο τοῦ ἀδικήματος τοὺς ἐλέγχους. Et postea τὸ μισοτύραννον factis gradibus distinguit, exemplo Solonis moderatiore proposito. Quod si omnino talis lex ferenda sit, valde ad rem pertinebit, ut definiatur factum, quo quis moliri tyrannidem censendus sit. Sicut in illa lege, cujus h. §. mentio, Valerius Publicola statuit apud *Dion. Halicarnassensem*:
lib. 5. p. 202. ἄρχοντα μηδένα εἶναι Ῥωμαίων, ὃς ἂν μὴ παρὰ τοῦ δήμου λάβῃ τὴν ἀρχὴν, θάνατον ἐπιθεὶς ζημίαν ἐάν τις παρὰ ταῦτα ποιῇ, καὶ τὸν ἀποκτείνοντα τοῦτόν τινα ποιῶν ἀθῷον. *Ne quis Romæ magistratum gereret, nisi à populo mandatum; mortis pœnam contra facienti decernens, &, qui talem occideret, insontem cædis pronuntians.* Quis enim satis prudenter cogitans, nudo tyrannidis & tyranni nomi-

nomine posito, definitionem criminum, quibus id nominis quisquam mereri potest (id est, rem nihil minus quàm facilem) cuivis è vulgo permittat? Neque vero dubitandum est, apud Græcos, ubicunque lex impune interfici tyrannos constituit, definitum & publice notum fuisse, quis haberi tyrannus posset. Neque facile aliter tractatur illa quæstio, quàm in conspecta & nota omnium querelis tyrannide. Nam dum in fieri, ut loquuntur, adhuc est tyrannis, legibus moribusque definitum sit oportet, quando, id est, quæ ob facta pro tyranno quis occidi queat. Ceterum Græcos ultra quàm fas est, progressos esse in hoc genere, ex adverso posita Romanorum æquitate ostendit *Dionysius Halicarnassensis*: lib. 8. p. 57. quorum hi ob parentum culpam liberos plecti nolebant; illi tyrannorum prolem vel morte, vel perpetuo exilio multabant.

De invasore quæritur quarto §. XVIII. an *licitum sit tyrannicidium, quod jubent verus Rex, sive ii, ad quem quosve spectat summum imperium?* Exemplum, quod hic affertur, clarum est. Sed non est per omnia secure incedendum. Ponamus casum: *Verus Rex in exilio ætatem degat: is jubeat tyrannum invasorem interfici.* Hic definiendum erit; *quem jubere possit, & cui hoc ministerium delegare.* Jubebitne illos cives & subditos ante sibi, qui interim fidem & obsequia tyranno jurarunt? Erit jussum sine effectu: neque illis licebit jusjurandum tyran-

ranno datum temerare. Satis ſcio, eſſe quoſdam in jurejurando interpretando an cavillando ſatis faciles, quaſi nec potuerit contra juſtum Regem fieri, neque factum valeret. Quos vel Ethnicorum exempla poſſunt arguere. Non audebant Ædui apud *Cæſarem* de Arioviſti tyrannide queri, aut adverſus eum auxilia implorare, quia, ſe hoc non facturos, juraverant. *Divitiacus unum ſe eſſe, ait, ex omni civitate Æduorum, qui adduci non potuerit, ut juraret, aut ſuos liberos obſides daret, ob eam rem ſe ex civitate profugiſſe, & Romam ad Senatum veniſſe, auxilium poſtulatum, quod ſolus neque jurejurando, neque obſidibus teneretur.* Talem igitur, ſi quis eſſet, Divitiacum jubere verus rex poſſet: aut percuſſores immittere, id eſt, certos homines tyranno nulla jurisjurandi religione obſtrictos. Quod, ut opinor, hic non quæritur. Pertinet enim caſus Grotio propoſitus, non ad ſtabilem, ut ita dicam, tyrannidem, ſed ad eam, quæ affectatur, & ut ſic dicam, in motu eſt.

de bell. Gal. lib. 1. c. 31.

Sed in re, nihil modicum ſpectante, Grotius §. XIX. præclaram cautionem civibus patriæ ſtudioſis commendat: quæ *Ciceronem* quoque non ſemel anxium habuit. Sed is quidem vix potuit in certa ſententia conquieſcere: adeo varium ſe præbuit in judicio de tali ſtatu ferendo: ſicut vel ex iis intelligitur, quæ totiens de nece Julii Cæſaris ſatis incaute diſſerit. Fluctuantibus ejuſmodi judiciis, idoneæ ſunt, quæ opponantur auctoritates eleganti & erudito

dito προβλημάτων allatæ. Tenuit hæc dubitatio & exercuit animos prudentum, etiam propioribus sæculis. Nec requiret, ubi & quando, nisi qui in historiis hospes est. Aodis exemplo (quod recte Grotius explicat) fœde abutitur ac scelestе Miltonius: prorsus scilicet exemplo & ore nefariorum parricidarum, qui Henricum Valesium Regem, v. Mus.p.28. & Guilielmum Arausionensem interfecerunt. Locus *Livii* de Nabide dignus est, qui totus lib.34.c.48. hic legatur. *Si sine excidio Lacedæmonis fieri potuisset, fatebatur* Quintius, *Pacis cum tyranno mentionem admittendam auribus non fuisse, nunc cum aliter, quàm ruina gravissima civitatis opprimi non posset, satius visum esse, tyrannum debilitatum ac totis prope viribus ad nocendum cuiquam ademtis, relinqui, quàm intermori vehementioribus, quàm quæ pati posset, remediis civitatem sinere, in ipsa vindicta libertatis perituram.* Decora oratio, &, si res ita se habuisset, præcipua laude ferenda. Sed, qui historiam totam novit, obtentui sumsisse ea Ducem Romanum suæ festinationi, ad alia tendenti, satis intelligit.

§. XX. Postrema verba caute accipienda sunt. Non enim Christus ideo tantum Cæsari jubet tributum solvi, quia in possessione erat Imperii: sed quia Judæos scire & credere volebat, Cæsarem habere legitimum in ipsos imperium. Nam illud, *quod est Cæsaris*, idem notat, ac si dixisset: quod Cæsari ipso jure debetur. Jure victoriæ, armorum, deditionis,

de I.N.&G. lib. 6. c. 17. p. 765. edit. Londin. gentium, ut *Seldenus* explicat. Neque dubitant Theologi, quin Christus Imperii Romani jura in Judæos aliis quoque modis confirmarit. Quod exemplum etiam Apostoli secuti sunt. De cetero cautio ipsa de non trahendo sibi rei controversæ judicio, utilissime adjecta, & pro obice multarum seditiosarum aut turbulentarum cogitationum opposita est.

IN LIB. I. CAP. V.

Qui bellum licite gerant.

c. 3 §. 1. & 4. DE *belli caussa efficiente principali*, etiam actum est, cum bellum publicum describeretur. Debuit tamen iste titulus ad integrandum philosophiæ ordinem, etiam hic proponi & connecti: ut §. 1. designaret *caussam principalem: §. 2. caussas adjuvantes: §. 3. & 4. caussas instrumentales.*

§. I. Caussa efficiens belli publici principalis dicitur, *potestas publica*, *maxime summa.* cur non simpliciter, *summa?* Eodem res redit: summa potestas est caussa belli publici, vel per se, *vel* per eos, quibus delegavit. Dictum satis est *supra ad cap.* 3. §. 4. *&* 5.

An *pro aliis*, bellum moveri possit, disquisitio remittitur ad *lib.* 2. *cap.* 25.

§. II. Tota ratio justitiæ, ex sociali hominis natura & cognatione procedit. Respectus societatis, quam natura, id est, Deus omnibus commendat & præcipit, utrumq; efficit: & ne velimus alteri nocere, aut injuriam inferre,

ferre, & ne patiamur ei noceri, quantum in nobis eſt: ſed vel beneficiis ei, vel defenſione & auxilio, quæ eſt pars beneficii, prodeſſe, omni ope ſtudioque cupiamus. Hoc fundamento *Cicero* magnificam iſtam de juſtitia philoſophiam, omnes philoſophorum & ſectarum bonas ſententias complexam inædificavit: & Jureconſulti veteres plurimas definiendi præcipiendique rationes extruxerunt. *Papiniani* enim illud, ex ore philoſophorum acceptum, *beneficio affici hominem intereſt hominis*, & in una re poſitum, non modo ad exempla à Grotio in margine adjuncta, ſed ad plurima alia pertinet: ſi quis non tam verborum, quàm rerum παράλληλα velit requirere. *Ciceronis* diligentia etiam in eo hic laudatur, quod magnæ illius communitatis & ſocietatis naturalis, gradus, à ſummo ad imum, ordine explanavit. Neque in hoc genere quiſquam ei præferri poteſt. Hæc nobiliſſima & prima omnis officii, & præſertim omnis juſtitiæ, ſocialis proprie virtutis origo. Et ad utilitates quidem mutuas etiam amplius invitat natura, objecta ſpecie indigentiæ; hoc ſenſu: Ecce ille eget rebus neceſſariis, eget opera, eget auxilio: at quis? ille vicinus, ille cognatus, ille amicus, imo ille homo cognatum tibi animal, quod ejuſdem communio naturæ ad ſocietatem & conjunctionem non eligendum modo, ſed diligendum monſtrat tibi commendatque. At à quo juvari ſublevarive petit? ab eo, qui intelligit ſe eſſe ejuſdem na-

turæ, tum ſuopte ingenio ſocialis, tum mutuam opem ad ſubſidium vitæ deſiderantis.
de benefic. 4, 18. *Nam quo alio tuti ſumus*, inquit *Seneca*, *quàm quod mutuis juvamur officiis? hoc uno inſtructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior eſt, beneficiorum commercio.* Diffunditur hic locus in ſequentibus. Non tamen hæc indigentia hominibus communis, vel ut ſola, vel ut præcipua cauſa conſociationis ſtatuenda eſt: ſicut
1, offic. 44. jam ante monuimus. *Cicero* revincit eam ſententiam graviter: *Nec verum eſt*, inquit, *quod dicitur à quibusdam, propter neceſſitatem vitæ, quod ea, quæ natura deſideret, conſequi ſine aliis atque efficere non poſſemus, idcirco iſtam eſſe cum hominibus communitatem & ſocietatem. Quod ſi omnia nobis, quæ ad vitam cultumque pertinent, quaſi virgula divina, ut ajunt, ſuppeditarentur, tum optimo quiſq; ingenio negotiis omnibus omiſſis, totum ſe in cognitione & ſcientia collocaret. non eſt ita. nam & ſolitudinem fugeret, & ſocium ſtudii quæreret: tum docere, tum diſcere vellet,*
2, offic, 21. *tum audire, tum dicere.* Et poſtea conjungit naturæ præceptum & indigentiæ invitamentum: *hanc ob cauſſam maxime, ut ſua tenerentur, reſpublicæ civitatesque conſtitutæ ſunt. Nam etſi duce natura congregabantur homines, tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant.* Et in hac ipſa mutuarum utilitatum communicatione, & ferendæ opis homini, eo quod homo eſt, ſtudio, non eam tantum inſtigationem eſſe, quàm indigentia ſuppeditat, & ſpes mutuæ opis, ubi uſus ſit; ſed naturalem

homi-

homini ac insitam juvandi hominis cupiditatem, etiam citra cogitationem mutui auxilii 3. offic. 5. præclare ostendit *Tullius*, *Magis est*, inquiens, *secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis, aut juvandis, maximos labores molestiasq; suscipere, imitantes Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum memor, in concilio cœlestium collocavit, quàm vivere in solitudine non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine & viribus.*

Solonis sententia, in *Annotatis* exposita, inter nobiliora philosophiæ & primæ sortis dogmata eminet. Atque hoc voluisse etiam Platonem, cum de communione uxorum, liberorumque disputaret, existimant eruditorum nonnulli: ut communia censerentur illa, *non confusione libidinis, sed communione caritatis*, quemadmodum nonnemo explicat: si nimirum unusquisque aliorum salutem & utilitatem ita ad se spectare existimaret, tanquam suam; & si quilibet alienorum ita in civitate curam gereret, ac si essent sui. Quam mensuram caritatis etiam ethnicos agnovisse, ex his ipsis dictis patet; & quæ mox sequuntur.

Menandri versus à Grotio Latine conversi, serm. 41. Græce ita se habent apud *Stobaeum*:

εἴπερ τὸν ἀδικοῦντα μὲν ὡς ἠμύνετο
ἕκαστος ἡμῶν, καὶ συνηγωνίσατο.
ἴσως νομίζων ἴδιον εἶναι τὸ γεγονὸς
ἀδίκημα, καὶ συνέπραττον ἀλλήλοις πικρῶς,
οὐκ ἂν ἐπιπλεῖον τὸ κακὸν ἡμῶν ἦρξατο

τὸ τῶν πονηρῶν· ἀλλὰ παρατηρούμενοι
καὶ τυγχάνοντες ἧς ἔδει τιμωρίας,
ἤτοι σπάνιοι σφόδρ' ἂν ὖσαν, ἢ πεπαυμένοι.

Democriti loco, negativa interponenda est, ferm. 152. p. 529. μὴ παριέναι. Extat apud *Stobaeum*. Illud μὴ παριέναι, explicari ἐκ παραλλήλου potest sententia lib. 1. Corinthiorum apud *Thucydidem*: οὐ γὰρ ὁ δουλωσάμενος, ἀλλ' ὁ δυνάμενος μὲν παῦσαι, περιορῶν δὲ, ἀληθέστερον αὐτῶ δρᾷ. *Baro Enenckelius* reddidit: *neque enim, qui servitutem aliis injungit, tam culpandus est, quam qui cum possit prohibere, negligit.*

§. III. *Instrumentorum* vocem, non recte accommodari *liberis*, & *omnibus subditis*, *Feldenus* notat. Sed ratio abunde explicata est à Grotio. Sicut enim in aliis discrepant sane liberi, subditi, servi: ita, quatenus in agendo voluntas eorum aliunde pendet, recte comparantur. Non sunt servi, qui in civili imperio agunt, subditi; sicut in herili, certa dominorum domus, & ceteri servi. Sed quia de omnibus subditis vere dici potest, quod in multis eorum voluntas pendeat ab alia, eatenus & ratio instrumenti, & comparatio cum servis in fine §. locum habeat.

§. IV. Lege, quidam *excluduntur* bello, quidam *levantur*. *Excluduntur* Romæ, exempli gratia, tanquam indigni, servi, & passim infames, rerumque capitalium damnati. Nisi quod *servi*, in magnis reipublicæ periculis, etiam armabantur. *Levantur* militia, exempli gratia, *Clerici*: quorum officium tale est, ut non possit

possit aut debeat onerari laboribus aliis: nisi in *casu necessitatis*, quod addit *Grotius*. Habet hæc exceptio locum, præsertim, ubi magna multitudo clericorum mœnibus & monasteriis inclusa, civilibusque exemta muneribus ætatem agit. Privilegia enim ejusmodi habent tacitam & naturalem exceptionem, ne ad interitum reipublicæ conferantur. Cujus periculi metus ostendit, hunc esse illum casum, ubi nemo à munere tutandæ ab exilio patriæ exsolvi potest. An autem illi clerici, pauci scilicet, qui pastorum munia obeunt ad omne belli & pacis tempus pertinentia, adigi possint ad munia militaria, gravior quæstio est. Credo, non posse dari casum, ubi hoc recte fiat. Quippe non tantum in bello, sed etiam in prælio locus est & usus Ecclesiasticarum functionum: possunt hortari, solari, alloqui vulneratos, aliaque ejus generis præstare, ut ratio nulla sit aut esse possit, ab his eos traducere ad operas militares. Videatur *Arnisæus de Exemt. Clericor. sect.* 1. §. 6. Ceterum

An & quatenus *subditi summæ potestati, cogi possint ad bellandum*, infra tractatur II, 26.



Index ſcriptorum, qui laudantur, à Bibliopola adjectus.

Contze-

Vedelius

FINIS.



IN HUGONIS GROTII JUS BELLI ET PACIS,

AD

Illuſtriſſimum Baronem


BOINEBURGIUM

Commentatio

JO. HENRICI BOECLERI.

Cum Præfatione


JO. SCHILTERI.



ARGENTORATI,

Ex Officina DULSSECKERIANA.

M DCC IV.



B. L.

S. P. D.

JO. SCHILTER.

ADmirandum illud Humani ingenii dæmonium, HUGO GROTIUS, ſolidioris doctrinæ ac veritatis fata ſatis ſuperque expertus fuit. Ipſe quum fundamentalem Jurisprudentiæ partem, Jus Naturæ atque Gentium, incultum ac tricis ſcholaſticis intermixtum, obſervaret, in Gallia ab eruditiſſimis ejus Regni Viris inſtigatus, in nitidam redegiſſet fa-

ciem, indito nomine de Jure belli ac pacis: Reperti fuerunt plures qui inventis frugibus, glande delectati adhuc, generosum partum statim in ipso flore extinguere contenderunt, quasi piaculum foret, illum librum vel leviter attingere. Istis porrò à Veritate repressis, examinatores tamen ille iniquiores rigidioresve nactus fuit: tandem verò Commentatores invenit æquiores, quorum præcipui inter JCtos, Caspar Zieglerus: inter Philosophos, Jo. Henr. Bœclerus. Enimvero vindicias agunt de jure naturæ & gentium Philosophi cum JCtis, & disceptatum, utrùm illa ad Philosophiam potius,

an

an ad Jurisprudentiam pertineat tractatio? Quam litem dirimendo, distinctè procedendum videtur; si enim de constituendâ hac disciplina & de ea in artem redigenda agitur, vix est, ut hæc opera ac industria Philosophiæ abjudicetur. Quando autem Philosophiam vocamus, Moralem intelligimus. Quum enim Philosophia hæc omnium disciplinarum moralium matrix sit, atque prima principia fundamentaq; jaciat, consequens est, ut etiam hujus partis τὰ πρῶτα non tantum jaciat, sed & conclusiones intermedias disponat; porrò verò lampada tradat JCtis, qui jus habent, principia & decreta se-

cundum artem dispofita, rite atq; ordine ad mores ftatumq; cujusque Populi Reiq; publicæ applicandi & interpretandi, jusque civile inde fabricandi. Unde & hoc conficitur, ut JCtus absque habitu Philofophiæ moralis, perfectus dici nequeat. Philofophus verò caveat, ne ad fpecialiora defcendendo, finiũ regundorum actione prematur. Cum igitur celeberrimi Bœcleri accuratæ commentationes in Grotium in bibliopoliis deficerent, optimum factu arbitratus de re literaria magis magisq; bene merenda ftudiofiffimus J. R. Dulsseckerus, ut denuo atq; tertiâ vice atq; correctior hic libellus fumtibus fuis imprimeretur.

retur. Id quod uti per ſe laudabile, ita nec vino vendibili opus eſt hedera: Sed ut omnes ac ſinguli futuri emtores penitiorem quæ intus latet, doctrinam inde comparent, exopto. Vale L. B. & fave. Dab. Argentorati M. Jan. MDCCIV.

Illuſtriſſimo Viro

JOANNI CHRISTIANO

Libero Baroni à Boineburg

Equiti Aurato,

Sereniſſimi Principis Electoris
Moguntini Conſiliario intimo
& ſupremo Aulæ Mareſchallo,

Hochſtæ & Hofheimij Præfecto,

Mæcenati Suo

Jo. Henricus Bœclerus S. P. D.



I Tibi, Illuſtriſſime Mæcenas, eo nomine hoc quicquid eſt opuſculi offerrem, quo omnes ſapientiæ amatores omnia Tibi obſequia & venerantium officia debent,

debent, nihil aliud quàm quod publica me pietas juberet, videri possem facere. Non enim mea appellatione, sed consensu & suffragio quantum est hominum politiorum, qua virtute florentissima antiquitatis Romanæ tempora Mæcenas, & novissima Galliæ decora Peireskius honestarunt, eâ Tu ex Germania nostra longe lateque suspiceris ac tuo merito celebraris. Enimvero propiores sunt, quæ me huc vocarunt, causæ. Juris enim, quo non minus generis humani securitas & honestas, quàm omnium quæ latæ sunt, quæ ferri possunt, legum origines ac incunabula continentur, inter paucissimos sane scientissimus, quæ experiendo didicisti, quàm sint publice salutaria, & in medio arduorum negotiorum discrimine, quàm sint necessaria, perspexisti, iis commendandis ornandisque nihil studii, operæ, diligentiæ prætermittis. Hinc est, quod tam erudito & propterea flagranti amore complecteris æternum opus, quo Hugo Grotius Jus Belli & Pacis explicandum sibi duxit. De quo cum judicium me fa-

cere optimum cerneres; etiam, ut commentatione perpetua, per totius operis ſpatia, amplius, quid in mentem veniret, declararem, auctor exactorque fuiſti. Videbam rem eſſe haud facilem, tam ſplendidæ purpuræ, pannos obſcuros, velut exadverſum componereMalignitatis quoque vix aliam capaciorem operam ſumi poſſe, ex moribus ſæculi ſatis proſpiciebam. Adverſus iſta non imbellia utique tela, confirmari tamen me ſenſi, tum voluntatis Tuæ auctoritate, quæ non poteſt non eſſe apud me maxima; tum præcepta ſpe publicæ utilitatis longe certiſſima, ſi tanti Herois exemplo in oculis terrarum orbis, quo pertinerent Grotii curæ, promulgaretur. Te enim inter ea ingenia illuſtri loco eminere, quæ ad magnas publicasque res proviſu, magnitudine animi, induſtria gerendas, Deus ſingulariter format excitatque, nemo niſi omnium imperitus rerum ignorare poteſt aut dubitare. Tam felicem genium, ultro fati ſui ſolicitudo, ab omnibus vulgaribus tricis ambagibusque ad cordata & excelſa

ſtudia

ſtudia veluti recta deduxit ac transtulit. Ea fuit in Academiis, ea exteris in nationibus, conſiliorum laborumq; tuorum ratio, ut per omnis quidem generis diſciplinas vigorem animi ac meditationum circumferres; moribus, hominibus, negotiis noſcendis, nihil ad ampliſſimam ſcientiæ copiam reliqui faceres; judicio cum eruditis, inveſtigatione cum curioſis certares: primas tamen & ſummas ſemper & ubique vitæ ac Reipublicæ partes poneres. Ad quam ita inſtructus, ita præparatus acceſſiſti, ut qui Tuo exemplo non condiſcere optant, quis in civili & publica vita Muſis, illis generoſis & rectis & magnanimis, locus eſſe debeat, illi doctoribus uſpiam ullis ad ſpem bonæ frugis revocandi qui tradantur, parum idonei queant videri. Quanquam non ſpes modo, ſed fiducia ſpei, meo inſedit pectori, Tui nominis undique illuſtris veneratione, mox rediturum in animos generoſæ ſtirpis amorem cultioris prudentiæ, ſine qua res Germana ex voto & uſu ſæculi tractari nequit. Eruditi quidem adeo ſentiunt
ſibi

ſibi ad extimulandas in decora & ſalutaria ſtudia mentes tam novum & ſingulare ſpecimen adjumento eſſe, ut parcius vetuſtis ſibi elogiis utendum, credere incipiant. Et quis eſt inter eos, quos commercio epiſtolarum dignaris, quin doceri ſe & ad vigorem quendam altiorum cogitationum transferri ſentiat, quotiens Tua legit? quem non rapit in ſtuporem illa tot ſcientiarum expedita & in promtu poſita notitia, illud è locupletiſſimo memoriæ penu tot nominibus tot libris exuberans judicium, illa par rebus, par nationum ingeniis, non unius linguæ eloquentia, qua in publicis nihil gravius exactiusque, in privatis nihil familiarius ac dulcius: illa inter immenſam curarum illuſtrium molem, tot amicorum & clientium deſideriis literisque ſufficiens aſſiduitas? Ego ſane ex literis Tuis pulcerrimam Bibliothecæ partem, & diſciplinæ nobilioris inſtrumentum electiſſimum conficio. Sed quantillum hæc atque talia, utut ſingularia, Tui meriti argumentum faciunt; ſi ad Rempublicam oculos reflecti-

flectimus ? Primorem tenes locum in amicitia ejus Principis, quem & muneris gloriosissimi amplitudine, & prudentiæ venerabili gravitate, tum caritate patriæ, morumque sanctimonia, non minus, quàm gradus ab Augusto fastigio proximi honore, DEUS voluit eminere. Tanti Principis, tanti Electoris, judicium meruisse, & promtis speciosisque obsequiis continenter propitiasse, ut felicitatis, ita laudis caput & summa est. Præsertim iis temporibus, quibus Imperio & Imperatori serviisse, prima semper ratio; non primum semper omnibus exaudita vox fuit. Eadem Te virtus FERDINANDIS TERTIO QUARTOQUE AUGUSTIS, Imperatori & Regi Romanorum, Invictissimis in terrarum orbe Principibus, in cælo Triumphatoribus perpetuis, carissimum acceptissimumque fecit: & Cubicularii, sive, ut nostræ gentis more loquamur, Camerarii dignatione, in admissionis interioris officio, auxit. Verum non est hujus vel stili vel loci, quam in publicis patriæ commodis tutandis personam ge-

ras,

ras, luculentius exequi. Nunc enim Grotii, imo mea res agitur: ut, quem Te auctore suscepi commentandi laborem, is præscriptione inclyti nominis Tui, vel ab invidia, vel in gratiam vindicetur. Sicut autem primus operis Grotiani liber ea sternit fundamenta, quibus multa deinceps tutius innitantur: ita liberalius commentationi lectoris pleraque conciliare visum est, unde tam illustre civilis philosophiæ non vulgari more percolendæ documentum repeti fas esset. In sequentibus libris per singulas argumenti partes, nunc suis momentis consertas aut conserendas; nunc in medio reipublicæ tractatu, demonstrandas usu, repræsentandas exemplis; nunc laxiore filo disputationis cum ratione diffundendas aut tempestive supplendas, nescio quàm feliciter (quamquam in Tui consilii auspicio non parum ominis inest) certe ingenue, & ad instituti Grotiani rationes interiores accommodata philosophandi diligentia, decurremus. Multum autem ad pertexendam operis telam adjumenti & subsi-

dii

dii ex Tuis literis partim habeo, partim impetrabo. Qua enim es in me benignitate & constantia, non omittes aut abjicies, quod Tuis semel humeris onus imposuisti. Tu, ubi immorandum commentationi sit, monuisti & monebis: Tu requirendo & suggerendo nobilia capita & lumina hujus disputationis, animum meum ad eas cogitationes transferes, quæ non poterunt materiam dedecere. Atque cum jampridem, exemplo Seldeni proposito, optaveris, ut, sicut ille secundum disciplinam Hebræorum hoc genus argumenti exsecutus erat, ita ad disciplinam Christianorum aliqua accommodarentur; dabitur à me opera, ut & hujusmodi speciminis, & variarum in disquirendo artium monumenta suis locis inserantur. Quicquid non infeliciter proveniet, quicquid placere viris gravibus & prudentibus poterit, Tibi volo in solidum deberi omnia. Ad me pertinebunt, quæ infra votum tuum & argumenti decus substiterint. Tu, Mæcenas Illustrissime, ut interim comiter excipias primum obsequii no-

ſtri

ſtri ſpecimen, vel ideo in animum induces Tuum, quod meliora nunc repræſentatis, certe uberiora fore credes, quæ expectantur. Denique, ſi nihil habet ſcriptura noſtra, quo Tibi commendetur, candor tamen clientis, grati adverſum beneficia Tua animi, qua licet, ſponſor & obſes non diſplicere poterit. DEUS Te, Sereniſſimo Principi Electori, totique Germaniæ, inter inſtrumenta & præſidia melioris ſæculi conſervet, Illuſtriſſime Domine: Domumque Tuam, & in ea Filios paterna in decora ſurrecturos, perpetua felicitate florere jubeat! Scribebam Argentorati d. V. Aprilis MDC LXIII.

Benivolo Lectori S. P.

H*Ugonis Grotii opus de Jure belli & pacis, varia fata, & quidem sæpius iniqua, expertum est, ab initio usque in hunc diem. A sacra Indicis congregatione Romæ, anno hujus sæculi septimo & vicesimo in numerum vetitorum librorum referri cœpit. Qua de re vidi judicia quorundam Theologorum Romanensium non è vulgo, mirantium; qui & quare id factum sit: imo vix credentium; quanquam Francisci Magdaleni Elenchus dubitare neminem sinat. Alius,* Non capio, *inquit*, cur Romana inquisitio absolute prohibuerit librum Grotianum de Jure Pacis & Belli; ideoque non immerito videor mihi posse dubitare, aut suspendere assensum meum de illa interdictione facta. Perlustravi librum: vix duo vel tria notavi, quæ spongiam aut correctionem merentur. --- --- Hæc quidem mihi occurrunt, quæ tamen ejusmodi sunt, ut librum alioqui perbonum & eruditum non ideo putem prohi-

bendum : si eodem rigore agendum esset cum plerisque libris aliis, in immensum augeretur index librorum prohibitorum. *Alius ita judicat* : Hugonis Grotii librum de jure Pacis & Belli nunc accurate evolvo ; quem semper inter sæculi nostri ornamenta numeravi, hodieque inter illos numero, qui bonâ fide errantes non continuo hæretici dicendi, aut inter damnatos censendi sunt, auctore magno Augustino. *Idem* : Hugo Grotius vir doctus, sapiens, ingenio perspicax, eloquio nervosus, & accuratus, animi, ut præ se fert, boni, & angustioris in quibusdam conscientiæ, quàm sint multi nostrates, sed quod deprehendi in Religione Calvino affixus & immortuus. -- -- In hoc tamen de Jure Pacis & belli libro pauca de aconito suo inspersit, quæ si omittantur, liber lectu salutaris illis præsertim erit, qui mirabuntur, tam sincera politicæ præcepta extra Catholicæ Theologiæ pomœria manere, & Acatholicos à nobis mutuare, quæ ipsi aut negligimus aut violamus.

lamus. *Sed de Theologia quidem Grotii sequens præfatio & commentatio nostra, ex occasione ingenue monebit. Neque opus est nunc, unde sua, & quæ mutuatus sit Grotius, excutere. Interea, quod Romæ more quodam factum est, alibi nullo more aut jure moliri videas tyranniones quosdam, omnibus præclaris ingeniis vivis juxta mortuisq́, per imperitiam & odium solidioris doctrinæ infestos. Hi Grotianum hoc opus non ex finibus tantum dominationis suæ, sed ex terrarum orbe eliminatum, & Orco damnatum cupiunt: hi, confictο ad invidiam, & ex more ingenii propositiq́ sui vocabulo, veluti ad contumelias & ludibria digito demonstrant, nescio quos* Grotianos. *Quod tale est, ac si quis detracta vocis commentitiæ larva diceret: Ecce illi sunt amatores veræ solidæq́ eruditionis; & propterea Philosophos, Historicos, Oratores, Poëtas, utriusq́ linguæ præcipuos aliquid sapere credunt, eorumq́ sapientia fieri student doctiores & meliores: his odium, his bellum indicant, hos invadant ô nostri numeri junctæq́ umbone phalanges. Atque ego quidem Groti-*

anum neminem novi, qualem isti digito notant. Grotium enim amare aut æstimare nemo potest, nisi qui inde profectus sui rationes expedivit, unde & Grotius; nisi qui easdem artes, eosdem artium fontes, quibus Grotius assuevit, imbibit. Si quid Grotius vel in sacris, vel in profanis sentit seorsum, aut à rectioris doctrinæ decretis abit, nemo eorum, qui Grotij doctrinam suo pretio taxare possunt, Grotij nomen, sed sapientiæ regulas sequi instituit. Absint ergo factionum nomina: quæ sine flagitio reipublicæ noxio nemo in literas infert. Aut, si Grotianus est, qui Grotiano more literas & sapientiam tractare contendit, retineantur vetera nomina, in honorem magistrorum, non in probrum discipulorum ascita, ut Philosophi & Philologi, ritu & æstimatione antiqua habeantur, qui sapientiæ & contextas ordine & firmatas robore rationes, nec jejune, nec perfunctorie consectantur. Quanquam his moribus non minus prope à crimine abfuerit, Ciceronis, Aristotelis, Platonis studiosum esse, aut videri velle. Omnes enim literæ interiores jam pridem strenue & ignorantur,

tur, & contemnuntur. Quæ etiam causſa eſt vel prima, vel inter primas, cur Grotii hoc opus eo numero non habeatur, quo haberi debebat. Finge autem Grotium omnia illa dixiſſe, quæ dixit, ſuopte Marte, ſui viribus ingenii, nulla ope antiquitatis adjutum; non erit eadem utilitas operis, quæ nunc eſt. Quamquam & illud hactenus nemini contigit, neque ut arbitror, continget in poſterum, ut rerum ſeriem & contextum tam commode explanaret, qui veterum libros non verſavit. Suntque in promtu excellentiſſimorum ingeniorum profundæ cogitationes & ſubtiles, ſed nullo modo ita explicatæ enuntiatæque, ſicut & rerum natura ratioque, & diſciplinæ competentia ultro poſtulabat. Inſevit Deus etiam ſummis & primæ ſortis hominibus, amorem communicandæ & conferendæ cum aliis ſapientiæ; hancque quaſi naturalem inſtituit cupiditatem ſciendi, quid alii ſenſerint, quid dixerint, de rebus, quas non ſentimus, & dicere paramus. Ita omnes, qui ab ultima antiquitate, in exemplis illuſtribus habentur, ſui profectus conſilia ſucceſſusque diſponi & prove-

nire vel optarunt, vel viderunt. Aliter enim apparere non potest, quid perfectum elaboratumque, quid perficiendum sit ac elaborandum; in quo acquiescere, quod augere aut supplere fas sit. Hæc res peperit nobis magnos in omni genere viros, quando sua cum aliorum inventis studia comparantes, & quæ meliora fieri aut clariora tractando possent animadvertentes, sui ingenii doctrinæque veluti pensum sibi, in quo sudarent, desumebant. Neque enim vanitate carere dixeris, qui pridem aliis & rectius & exquisitius disputata, sibi ut auctoribus trahere non verentur: sive per ignorantiam, quæ & turpis in homine studiis literarum dedito & superba semper est habita; sive per dissimulationem opis alienæ, quam animis ingenuis & liberalibus parum dignam esse, nemo inficias iverit. Jam quis toleret illos, qui, ut aliquid sui afferre & novi videantur, etiam recta & solida commutant? Deniq, quis ita potest decipi, præter imperitos vel ætate vel ingenio homines? Versa te in omnes partes, Protea te alterum præsta, omnibus simulacris & involucris te obtege, agnosceris

(neu

(neu dubita) & quanto ſtudio aliena tua feceris, neq; agnoſci in eo mimo volueris, deprehenderis: niſi omnes, quantum eſt hodie hominum eruditorum, fungos eſſe credideris. Ita laudem ingenii & doctrinæ minuet tibi detracta perſona: &, qui credent fatebunturque, pollere te indole ac dotibus; ad majora & rectiora te iturum fuiſſe judicabunt, ſi aliorum inventa operaq; non maluiſſes ignorare. Eſt mihi copia memorandi, quanto pudore obruti ſint, qui talis inſtituti ſeram ſed gravem pœnam, ad ſumma de cetero nati, experti ſunt. Sed in Grotio quidem, pleramq; conſilii partem non intelligit, qui eadem ad eosdem uſus, domeſticis copiis, nullo alienæ diſciplinæ & auctoritatis paratu, confici potuiſſe, exiſtimat. Noverat ille, noverant viri totius Galliæ doctiſſimi & optimi, qui non alium aptiorem huic muneri obeundo reperire ſe poſſe arbitrabantur, quantum ad ſæculi emolumenta & decora intereſſet, erui civilem ſapientiam ex penetralibus abditis, depromi ex theſauris opulentiſſimis, exhibere publice nec nudam, nec inermem, nec inornatam; quæ vel

 jejuno

jejuno tractatu, vel horrido cultu, vel ſpinoſo amictu diu per tot caſus circumacta, ac tantum non amiſſa faſtidium requirendi, & terrorem ſui reliquerat in animis. In eosdem ſcopulos ne iterum impingeretur, ad ipſa arcanarum opum conditoria, ad conſtitutos divinitus promos condos, ad penetrales receſſus, candide & liberaliter invitari homines, ſumma & publica ratio erat. Sed video uſu hic venire multis, quod peregrinantibus ſolet. Veniant illi in concilium lectiſſimorum hominum, quos fortuna in unum quaſi muſeum coëgerit. Sint in ſingulis rara quædam, magna, notabilia, magnoque uſu noſcentibus futura. Sed qui noſcendi magna & magnos artibus deſtituitur, poſtquam brevi & veluti pompæ ſpectaculo oculos ineruditos ſatiaverit, ubi multum profecit, nomina, titulos, figuram, veſtem, & ſi forte geſtum quendam habitumque corporis, ut ſummam diſciplinæ enumerabit: cetera relinquet iis, qui Mercurio aut Minerva duce peregrinantur: quorum rara ſcilicet ubiq; ac pæne nulla copia eſt. Prorſus aliquid hujus generis patiuntur, qui condu-

conductum à Grotio veluti Senatum generis humani, & ad dicendam de gravissimis rebus sententiam, suis locis, suo ordine amplissime pulcerrimeque dispositum, inerti obtutu vix oculis perlustrant; tantum abest, ut animorum commentatione recognoscant. Illa enim, ad omne doctrinæ & utilitatum publicarum decus genita nomina, nunquam audiuntur, nunquam nisi contemtim, id est, non citra injuriam, laudantur in scholis eorum, qui penes se hodie sapientiæ regnum esse, invitis Musis Gratiisq;, apud credulas imperitorum aures jactitant. Quin imo, ne melioribus magistris forte aures præbere condiscant, aliunde tragulam injicere, atque ementiri non dubitant: Grotianum opus à nemine intelligi, docerive posse, nisi qui ipsum Grotium audiverit consulueritq;. Favebat huic commento eorum vanitas, qui cum ea ætate, iis studiis, inter fortuitos salutatores Grotium vidissent, unde nec institutum operis, nec ullam particulam intelligere aut capere poterant; omnium minime, si quid secretioris disciplinæ in sermonis argumentum venisset: aliquid

tamen ſibi eo nomine præter ceteros arrogare, & incredibiliter ſapere, auditore & judice Mida, importune contendebant. Quibus ſi fortuna neceſſitatem indixiſſet demonſtrandæ vel exiguo ſpecimine horribilis ſcientiæ, profecto ſe circa corticem obhærere, à nucleo autem plurimum abeſſe, oſtenſuri erant. Sed enim obliti erant, aut amiſerant annotata ſua? quaſi capere quicquam in hoc genere potuiſſet, qui oblivi ſci potuit. Quibus moribus hodie aretalogi ſuas ineptias imputent, vel hæc una res queat oſtendere. Quos enim iſta ſomnia juvat auſcultare, illi credant oportet, neminem in terris ſupereſſe, qui ſciat, quid ſit eruditio, quid diſciplina, quis intelligendi tradendive modus. Ut aliquid nequeat intelligi, vel voluntas ſcriptoris efficere poteſt, vel rerum ipſarum obſcuritas. Voluntatis ejusmodi ſpecimen in Ariſtotele ex Andronico Gellius annotavit: quaſi acroamatica quædam ſua & pro editis & pro non editis haberi voluerit. Poſſisq́ ad Politica, quæ ſuperſunt, accommodare illas ambages. Nam decerptas ex doctrinis civilibus partes habemus, &

diſper-

dispersas: quas qui pro contexta, plena, integra παιδεία accipiunt; illis hi libri pro non editis sunt. Neque tamen intelligi ab iis non possunt, qui civilis scientiæ rationem omnem animo habent & ingenio comprehensam. Verum in Grotio nulla talis voluntas locum habere potuit: qui contrarium toto operis consilio, forma, tractatu abunde demonstravit. Rerum, sicut non obvia ubique, sed haud raro recondita est cognitio, ita ut intelligeretur tamen, & ab eruditis in clara luce consiceretur, operam dedit. Quæ in ipso tanta fuit facultas, quanta in doctissimis viris unquam esse potuit. Atque hæc quidem adeo sunt explanatæ veritatis, ut haud dubie inscientiam omnis eruditionis fateri credendi sint, qui psittacorum æmuli, quas in vulgus phaleras aliqui Thrasonica simulatione adornarunt, eas ipsi bona scilicet fide recinunt ingeminantque. Dicam autem illis fabulam longe veriorem, & suadebo, ut aliena stultitia ad obtrectandum eruditis abuti desinant. Qui hos sine mente sonos reddere consueverunt, illis Grotius ipse, si redivivus vellet laborem sumere,

mere,

mere, quantus in docendo ſumi maximus poteſt, non poſſet interpretari ſuum opus de jure belli & pacis. Laterem, inquam, lavaret, nec magis voce quàm ſcriptura proficeret apud tales diſcipulos. Ne tumultuentur, quaeſo, fraterculi gigantum: ſed cauſſam audiant, antequam dicant ſententiam. Grotianum opus conſerunt, implent, conſummantq; mutuis operis ex aequo pollentes, συνεσις πολιτικὴ καὶ δύναμις ἑρμηνευτικὴ, profunda intelligentia civilis, & exquiſita eloquentiæ facultas. *Ab utriusq; generis non dicam myſteriis, ſed rudimentis, tam longis disjunguntur ſpatiis illi Atticae elegantiae judices, illi Grotiani cenſores, ut non videantur admiſſionis ad illa ſacra capaces futuri,*

donec conſumto, magnus qui dicitur, anno,
rurſus in antiquum redeant vaga ſidera curſum,
qualia præteriti ſteterant ab origine mundi.

Hac una & unica, vel judicandi inepte, vel ineptientibus aſſentandi cauſſa, & dedit & dabit fluctus illos, qui non mino- re

re AEolii regni infamia, quam Neptunii imperii auctoritate comprimi debent. Προθεσπίζω, *nec hariolor, futurum, ut eruditionis civilis, hactenus obsoletæ, oppressæ, afflictæ genius, se liberiori cælo asserat, & contemtores suos contemtibiles reddat. Interea bonis, id est, dissimilimis eorum, qui nostra impugnant, artibus grassari certum est immotumque. Sextus nunc & vicesimus ad finem properat annus, ex quo, ad capessendum Doctoris Academici munus divino vocatu primum accessi. Cumque in tanta librorum omnis generis multitudine, ævi autem humani brevitate, felicitatis non postremum sit, optimis quibusque scriptoribus assuescere, nec minoris genii & doctrinæ levioris volumina primore loco numerare; faciendum mihi sane fuit, quod bonos viros juris divini & humani religio facere jubet, ut inter eruditionis solidioris specimina Grotij opus eo magis commendarem, & apud juventutis studiosæ aures laudibus ferrem, quo gravior ad antiquitatem, unde omnis disciplinæ interioris secreta merito repeti debere, non credere sed scire videbar, dux ille*

ille & auctor potentior, viam emuniverat. Videbam Lipsium, videbam alios, civilis prudentiæ locos & sedes, in veteribus, vel indicio facto demonstrâsse; vel conducta sententiarum ac exemplorum congruentium similitudine, ad suavitatem doctrinæ, velut invitamento ac illicio temperasse. Sed, qui Grotium in abstrusioribus rebus per auctores variorum studiorum vetustos eruendis, atque per argumenti cujusq; ingenium & mensuram subtiliter & partite dispensandis per omnia æquaret, non reperiebam alterum. Hanc personam ipsi à Deo impositam, ad ornanda ea studia, quæ ab instauratis literis segnius & jejunius procedebant, vel detrectare, vel obtrectare nefas esse, fuerit mihi fas, opinor, & credidisse, & credere. Sed non fuit, non est tam rudis & secura rerum hominumq; nostra disciplina, ut paterer, quantum in me fuit, irrumpere promiscuam turbam in ista penetralia. Ultro retinebam ruentes; & quàm non esset cujusvis ingenii, cujusvis profectus, is labor, serio & graviter & sæpe testabar. Ubi enim illa philosophiæ, illa variæ erudi-

tionis,

tionis, præparata notitia, ut aliquod hic operæ pretium facere se posse arbitrarentur, requirebam? Querebar cum fortuna sæculi & scholarum, ubi præsidia gravioris doctrinæ vix amplius quàm supremis labiis delibarentur. Deniq; totiens, in tot annorum decursu, interpellatus atq; rogatus, ut tractando huic operi sociam commilitonibus operam navarem, plerumq; provida quadam pertinacia restiti. Donec quasi coactu & efflagitatu selectissimorum amicorum, quorum nunc virtus in republica diversis locis florere cœpit, feliciter magnoq; cum successu illuc descendi, ut Grotianam disciplinam è fontibus emanantem studiosius persequendam judicarem. Iterum illuc compulso, satis destinatam esse in posterum cœpit, non mittere in turbam opus præclaris tantum ingeniis & profectibus dignum. Egi tamen inter istam disciplinam, quod vel mediocriter attentis & capacibus auditoribus in lucro esse debebat: si quid de notitia scriptorum veterum & juniorum; si quid de modis & tricis certorum negotiorum, non nisi prævidenti vitabilibus; si præsertim

discri-

discrimen philosophiæ in suis argumentis explanatæ, contextæ, integræ, tum alterius tumultuariæ, fortuitæ, nec implentis locum, sed corripientis; sæpius memoranti credere, aut acceptum ferre, ratio esse potuisset. Verumenimvero, quatenus quæ auribus committuntur, occultis nec raro malignis censuris obnoxia sunt, commentatio ista (cujus hanc primam partem, *alieno potius quàm meo arbitrio prægredientem, mox insequetur* secundus liber Grotii, *atque inde* tertius) *doctorum & bonorum virorum judicio arbitrioq; libenter meritoq; se submittit. Discere à quovis, reprehendi à perito & æquo judice, gaudeo. Et quoniam instituti Grotiani non ornatissima tantum, sed validissima pars, ad utriusque antiquitatis, in quantum vitæ ac reipublicæ utilis esse potest, præsidia spectat: (ignoscant mihi, si qui non satis perspiciunt, quod homini his literis intentiore cura dedito perspectissimum est) multum in eo explicationis genere versabuntur nostræ paginæ: non sine varietate tamen disputationis, & præsentioribus ex republica & ad rempublicam*

docu-

documentis. Forte & his absolutis, ad ea progrediemur, quæ Grotius non attigit: non quod mensuram exempli implere nos posse, sed quod reliqua etiam hujus argumenti ad ritum solidioris doctrinæ conformata extare oportere, arbitremur. De cetero enim semper de Grotio usurpavi, quod de Panætio P. Rutilius Rufus apud Posidonium dicere solebat: ut nemo pictor esset inventus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret, (oris enim pulcritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat) sic ea, quæ Panætius prætermisisset, & non perfecisset, propter eorum, quæ fecisset, præstantiam, neminem esse persecuturum. *Illud quoq; nemo in dubium vocaverit, si absque hac Grotii opera fuisset, multis perituras fuisse cogitationes, quibus nunc supra Grotium evehi sua inventa posse, animose confidunt. Laus enim arduorum operum illis potissimum debetur, qui prima fundamenta & specimina moliuntur, quiq; primi pedum viam in caligine vident, aliisq; præeunt. Proxima est illorum gloria, qui cum iis, quos imitantur, certant, non adjectione mo-*

lis & numeri (qui vulgi mos & summa ratio est) sed integrandis, quæ cœpta, disponendis quæ confusa sunt, explicandis quæ negligentia aut imperitia tradentium implicavit. Cujus generis specimen pulcerrimum habebunt, qui Grotii opus cum Alberici Gentilis, magni viri & præclara pleraq́; erudite moliti, libro de jure belli in partibus eodem spectantibus & congruentibus didicerint comparare. Unde etiam altera illa primæ sortis laus quibus in rebus Grotio debeatur; amplius elucescet. Ne longe abeamus, quàm jejune tractetur philosophia morum, & undecim fere virtutum vocabulis, cum enumeratione discrepantium de Fine sententiarum, & actionum causis rudi modo expressis absolvatur, non ego cum Nepotem primum, cum alios scriptores ad interiorem disciplinam duces commendarem; non alii, qui heri & hodie eadem dequeruntur; sed, antequam nobis nasci contigit, præstantissimi doctissimique viri viderunt, testati sunt, deplorarunt. Sicut & eos non mederi malo, qui diffusis & spinoso quodam disputandi genere productis in immensum commentariis scholarum regnum invaserant, pri-

pridem animadversum est. Jam in civili doctrina quis non intelligit plerosq; temere versari: conductis in unum locum, in quæ inciderant; de implendo autem loco & constituendo, tum de locorum singulorum ad invicem respectu & ad summam disciplinæ contextu, nulla cogitatione suscepta? Hæc reprehendere, non est novi inventi: emendare autem & defectus tam insignes explere, plenam laudem meretur. Ita, ut ad argumentum nostrum propius redeamus; juris & justitiæ naturam & originem, à sociali hominis natura repeti, atq; hinc totam disciplinæ seriem produci debere, quamquam & Grotius dixerit, non possum vel ipsi vel cuiquam ex junioribus, in acceptis ferre: cum tot ante sæcula Philosophorum antiquissimi tradiderint, & Cicero exquisito interpretandi genere persecutus sit. Idem, qui & reliquarum virtutum principia atq; consecutiones cuiq; proprias, eximia philosophia commentatus est. Hobbesium in hoc genere multi haud dubie nimis mirantur: & nisi ipse summus admirator sui, quàm auditor veterum esse maluisset, ad maximorum ingeniorum gloriam perventu-

rus erat. Nunc, quæ defendi possunt in ejus scriptis, veteres & copiosius & subtilius, sed & civilius sunt executi. Atq;, si quæ de natura hominis insociabili, & statu naturali humano (rectius belluinum vocaveris) disputat, hypothesin tantum sapiunt, ac si quis diceret, mundum non posse consistere, vitam non esse vitalem, si natura hominis dissociabilis esset, id est, nisi vinculo & ordine societatis contineretur; quis ignorat hæc antiquis esse sedulo & tradita & explicata, sicut vel Grotio indice discere, qui volunt, poterant? Ne dicam de tot viris eruditis, qui ante Hobbesium, sibi declarandam sumserunt necessitatem & utilitatem consociationis, objecta imagine status, qualis extra societatem concipiendus animo esset. Tanto illi Hobbesio melius & doctius, quanto minus sejungendas existimarunt societatis caussas, quas natura conjunxit. Sed ego valde vereor, ne Hobbesii ingratiis illa in medium afferatur excusatio; qui sciam, monitum de errore ab amicis in Gallia, viris doctissimis, pertendisse sententiam, adjectisque notis, quæ visuntur, confirmatum ivisse.

Qua

Qua quidem cura non fuisset opus, si ὑποθέσεως χάριν se assumsisse illud, quasi postulatum, verbulo respondisset. His ergo atq; talibus in rebus, cur nil aliis præ Grotio concedi queat, non obscurum esse arbitror. Quid igitur tandem superest, in quo, post Grotium, aliquis, quantum ad argumentum tam nobile attinet, commemorabilis meriti titulum sperare possit? Res oppido magna & illustris: si totum corpus jurisprudentiæ perpetuæ & naturalis, cujus plurimam partem Grotius est complexus, conficeretur. Id ut fieret, ipse optavit, & nominatis quibusdam capitibus, ad cogitandum proposuit. Fieri autem non uno modo potest. Primum genus, esset exempli Grotiani imitatio, in argumentis, quæ tractanda aliis reliquit. Quin præferri ceteris hæc ratio mereatur, non dubitabit, qui, quem usum habeat in republica Grotianum opus, intelligit. Hinc enim illa lumina experientiæ tum alienæ, tum propriæ, se rectissime explicant, & in rerum humanarum intimos recessus diffundunt. Hinc civilium intelligentia negotiorum procedit instructius, invalescit efficacius. Et licet, ut ante dictum est, difficile sit

adæquare Grotium, publice tamen proderit, in secundo gradu constitisse, quicunq; decoris tanti palmam obtinere contendet. Alterum genus ad Analyticos pertinet: si quis daret nobis contextam disciplinæ seriem, qua prima priore loco, inde consequentia suo quodque ordine, nulla præposteritate, aut trajectionis licentia (ea enim omnia, ab iis, qui hanc artem profitentur, abesse debent) ex principiis denique fundamenti loco positis firmatisq;, conclusiones, ut ex se ad invicem aptæ sunt, proponerentur. Ita nobis exhiberi, id quod justum est, publice intererat. Sed videbimus huc diversissima via incedere viros doctos. Palma in medio posita est. Quam cum multa laude victor propositi auferet: indebitam interim iis, qui Analyticæ secreta verbis præferunt, re non præstant ipsa. Quid autem, etiam his ex voto constitutis, Grotiana institutio eximium & vitæ humanæ necessarium habeat, sciunt, qui Grotium in ipso Grotio capiunt ac intelligunt. Sed hæc quidem hactenus. Iterum enim nobis deinceps aurem præbebis, Lector Benivole, ac interea valebis.

PRÆ-

